


hil minus cutâsse. Nam, si tanta ei cura  
 „ de hoc fuerit, ut, quoniam totus erat Evan-  
 „ gelicus, barbam gestârit; cur non gestavit  
 „ prominentes Capillos, quos in Christo, ve-  
 „ lut in Prototypo, præcessisse intelligeret?  
 „ melius quoque sibi, suisque simili exemplo  
 „ præscriptislet tunicam inconsutilem. Satiùs  
 „ denique foret, barbam non tam prominentem,  
 „ sed in mensura, & longitudine Prototypi ge-  
 „ stare. Faceant hæc nugæ; sit nobis non barba,  
 „ sed Christi Charitas, & virtus in exemplum;  
 „ vel, si pari passu insistamus, non minor erit  
 „ tonsa Sanctitas, quam comata. Sic Sanctè,  
 „ & benè utique Christum imitabimur, si sive  
 „ tonsi, sive intonsi studeamus in hoc intende-  
 „ re, quod Christus spectavit, & spectare nos  
 „ docuit, Dei videlicet Gloriam, & volunta-  
 „ tem, nostræque cum Superiorum Voluntate  
 „ conformitatem., Hæc ille ad hos, & illos.  
 Quòd, si ego longiorem, quam præfatus de  
 Riddere dissertationem protraxerim, ignoscite  
 mihi: factus sum insipiens, vos me ce-  
 gisti.



## CAPUT DECIMUM

*An Observantes sint Filiales Ordinis  
Conventualium?*

Num. I. Adhoc quæstum non nihil discu-  
tien-

tiendum deducit me M. Verinus, dum nedum per decursum sui *Discursus Polemici*, Corpus Observantinum facit Ordinis Conventualium Filiale, sed & speciali suâ quæstione XVII. sentiendum putat cum Libro, qui Antonio Lucci Episcopo Bovinensi adscribitur, cujusque titulus est: *Rationes Historicae S. Rituum Congregationi humiliter presentatae* (in Italico, ex quo Liber ille in Latinum translatus est, habetur: *presentanda*) quibus demonstratur, omnes Sanctos, & Beatos primorum duorum Seculorum Franciscanorum Solis PP. Conventualibus competere. In dicta quæstione me reum facit, quasi nedum Personæ Authoris fuissem injuriosus; sed etiam veluti, si contra Sacratissimum ejus Sacerdotium, contrâque Characterem Episcopalem offendissem, dicendo Mitram ejus parvam. Si autem cordatus Lector meum Dialogum revideat. invenit, qualiter R. P. Hierotheus Authorem illum per Antonomasiam, nullo addito nomine proprio, citaverat dicens: *Aureum præbeatum Bovinensem Præsuli*; quibus verbis ego addebam pag. 34. per hunc debebis intelligere Antonium Lucei, cuius parva Mitra tuius comparet in Italia, quam ejus Liber, utpote qui in Italia italicè jam refutatus erat; ubi per parvam Crisim Mitram illam nolebam apprehendere esse adhuc tantam, tamque in nostra Germania celebrem, ut per Antonomasiam valeat citari, & objici; veluti, dum citatur, atque Adversario objici-

objicitur Præfus Hippomensium, statim subintelligendus venit Magnus Augustinus, cuius cum Mitra Calamum totus novit, ac veneratur Orbis.

Num. 2. Alia, quæ M. Verinus ibidem movet, & censurat, præsertim de *rima magis aperta* &c., non mihi adeò sunt curanda, dum de loco determinato id eò minus dixisse potui, quod primus meus DIALOGUS prodiit Coloniae, antequam versio illa *Rationum Historicarum in Latinum*, Coloniae prodire non permisso, alicubi typum vidit; aut rimam apertam. Unde frustrè dicit, me certum Episcopatum *rimam baptizasse*: baptismus enim requirit subjectum determinatum, quale tempore istius meæ scriptoris, respectu evulgandæ illius versionis nondum apparebat. Omnia vero, quæ adducit in laudem personæ Venerabilis istius servi Dei Antonii Lucci, ego approbo, & confirmo: Quia ex quo non ita pridem venerandam ejus Vitam, & Mortem pretiosam ad nos usque fama perduxit, ipsum in devotione cupio adhuc habere patronum. Et talis mecum devotæ exspectationis profitetur etiam se esse Authorem *Tripartita Apologia contra Librum*, cui titulus: *Rationes Historicae &c.* in idiomate Italico anno 1750. Licensibus typis publicare, quæ non minus presentata est Moderno Sanctissimo; propter similem proinde devotionem Author ille in Præfatione Tomi i mi negat, Librum illum esse conscriptum à tam docto, tam

pio,

pio, & Sancto Episcopo ; Unde cum illo Autore permisum erit mihi non credere, ipsum reverè esse illius Libri Authorem ; in quo me nonnihil etiam confirmat descriptor Vitæ ejus, qui §. 2. ita de ipso meminit : *Apparuit in Ordine suo doctissimus ; non apparuit Sanctus , Deo utique indicia Sanctitatis ad majus incrementum oculante : apparuit in Pastorali Officio Sanctus : non perinde doctus , Superiori Claritate Lumen minus obscurante ; quanquam nec inter Fratres esset Sanctitatis expers doctrina , nec in Episcopatus Muneris Comitem doctrinam Sanctitas amiserit.*

Num. 3. Quantum verò ad ipsum Librum : non nego , illum ab Authoris cujuscunque acuminè esse præclarum , etiamsi alia ex parte cum Justitiæ integritate non concordet : dum Observantes à duobus primis Minoritanis sæculis de plano excludit , veluti , si S. Franciscus de Observantibus à se institutis nihil scivisset , solùmque plantasset Ordinem Conventualium , ac hisce solis suam Regulam , suæque Regule professionem tradidisset , inque hos solos suam in Officii Generalatûs successionem transfudisset ; Unde etiam sequeretur , Observantes in duorum primorum sæculorum Ordinis Sanctis , virisque illustribus nullam partem habere , prout ipse Libri Titulus præfert , & contextus ejus putat se demonstrare . Et hoc ipsum jam à quibusdam veluti pro re judicata , & in medio posita habetur . Verum à quo Judice ? in quo tribu-

tribunali ? quibus fundamentis pronunciata fuerit hæc definitiva sententia , nec Author indicat , nec Minoritanorum Jurium experti capiunt ; nisi forte Author Libri argumenta , & Authores , quos pro se adducit , Judices dicat , quod foret testes , & Advocatos , contra Juris utriusque dispositionem , in Cathedra collocare ad Judicandum . Adde , quòd testes ipsi , quos sibi favorabiles opinatur , an reverè favorabiles sint , sit examinandum ; invenieturque insuper & hos esse partiales , & illos veluti de materia aliena scribentes (estō inculpabiliter) in sinistram opinionem ductos fuisse , & seductos ; ubi proinde gratis adjudicatum dicitur , quod à nemine , in materia Minoritica versato , seclusā præventione , concordatur , cui ex Bullis Pontificiis contradicitur , quódque ab ipso Authorē non nisi in disputationem producitur . Audentur itaque etiam alterius partis argumenta , argumentorūmque partis opponentis solutiones , & fundatum exposit exspectetur Judicium .

Num. 4. Et quantumcunque deprædicetur Liber ille à moderno Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIV. visus , & lectus , non creditur tamen ab ipso positivè approbatus : Cùm idem hic illuminatissimus Pontifex , olim quā Promotor fidei , non potuerit pati , quòd in processu Beatificationis , & Canonizationis *B. Andreae de Comitibus* (qui ante omnem Ordinis divisionem vixerat , atque ad primum Sæculum

Franci-

Franciscanum spe labat) adderetur, quod esset Ordinis Minorum *Conventualium*; quod tamen nedum permittere, sed & approbare, promoveréque debuisset, si cum Authore, cùmque ipso titulo istius Libri, ejusque contento Judicáset, *omnes Sanctos, & Beatos duorum primorum Ordinis secularium Franciscanorum solis PP. Conventualibus competere.* Dum námque idem ille Sanctissimus, quà, ut dixi, Promotor Fidei, videret aliquando sententiam ab Episcopo Anagniensi in favorem Cultūs illius Beati Andreæ prolatam, sequens super eandem formavit Judicium.

Num. 5. „ Eam dicerem confirmandam non  
 „ esse: primò, quia in dicta sententia B. Andreas nuncupatur Sacerdos professus Ordini  
 „ nis Minorum *Conventualium* S. Francisci...  
 „ & Juxta Decretum editum ab hac S. Congre-  
 „ gatione die 25. Septembris currentis anni  
 „ 1723. à Sanctissimo Domino nostro appro-  
 „ batum; dictum quidem fuit, posse signari  
 „ commissionem causæ, quæ etiam signata  
 „ fuit; sed additum est in Decreto, non esse  
 „ B. Andream qualificandum, tanquam Reli-  
 „ giosum *Ordinis Minorum Conventualium* S.  
 „ Francisci; sed tanquam Religiosum *Ordinis*  
 „ *Minorum*, absque alia additione... Anti-  
 „ quissima hujus B. Andreæ Imago depicta à  
 „ discipulo antiquissimi Pictoris Giotti, quæ  
 „ que existit in Sacristia Ecclesiae S. Crucis Ci-

„ vita-

„ vitatis Florentiæ, & qua à me præterito  
„ mense Octobris, dum Florentiæ morarer,  
„ visa fuit, & diligenter examinata, vestem  
„ præfert Minoris Observantis, pedes ha-  
„ bet denudatos, barbam non habet, nec cal-  
„ vitiem. „ Héc modernus Sanctissimus. Quia  
autem M. Verinus sibi quidem fidem de pla-  
no adhiberi postulat; mihi verò, etiam satis  
authentica referenti non credit; possètque &  
hoc regnantis Pontificis in hac materia Judicium  
in dubium vocare, ecce illud authenticum de-  
monstro per sequentia. „ Suprà dicta Copia ex-  
„ tracta fuit ex proprio impresso Originali,  
„ cuius Frontispicium sic incipit: *Sacra Rituuum*  
„ *Congregatio &c.* Beatificationis, & Canoni-  
„ zationis B. Andreæ de Coinitibus... respe-  
„ ctivè ex Summario, & Animadversione R.  
„ P. D. Fidei Promotoris, in dicto Libro im-  
„ pressis: cum quibus eam collationavi, &  
„ concordare inveni, testor ego *Antonius Od-*  
„ *dus, Causar. Capitol. publicus, Dei, &*  
„ *Apostolicae Sedis gratiâ Notarius. Romæ*  
„ *hâc die 8. Februarii 1727. loco + Sigilli,*  
*Et, ut nihil pro extorquenda M. Verini fide defi-*  
ciat, addo, quod sequitur. „ Nos ad præsens  
„ Cameræ A. V. Conservatores universis &c.  
„ fidem facimus, & attestamur, suprà dictum  
„ Dominum Antonium Oddum Curiaæ Capit-  
„ tol. Notarium, qui de præmissis rogatus est,  
„ esse talem, qualem se facit, Scripturisque suis,  
„ tam

tam publicis, quam privatis, & similibus,  
 semper in Judicio, & extra exhibitam fuisse,  
 & de praesenti indubiam adhiberi fidem &c.  
 In quorum fidem &c. dat. Romæ ex exhibus  
 nostris Capitolinis hâc die 27. Maji 1727.  
 Pro D. Secret. Not. Collegii DD. CC. Not.  
 Dominicus Macchini de mandato &c.  
 Loco † Sigilli.

Num. 6. Huc spectat Epistola Eminentissimi  
 Secretarii Statûs Cardinalis Larcari inscripta  
*Reverendissimo P. Ministro Generali Ordinis S.  
Francisci Presidenti in Capitulo Generali Mediolani.*

Reverendissime Pater! Sanctissimus Domi-  
 nus noster Apostolicâ Sollicitudine suâ totus  
 intentus ad procurandum majus bonum,  
 atque emolumentum Ordinis Franciscanî,  
 reflexionem fecit super varias materias in-  
 stanti Capitulo vestro cum effectu examinan-  
 das, & stabiliendas... Pro ultimo mandat,  
 ut sua Paternitas de novo inculcat omnibus  
 suis Religiosis, quatenus tam in typis, quam  
 in scriptis, in discursibus etiam, aliisque  
 occasionibus Sancti, & Beati, nec non Do-  
 ctores Ordinis, qui ante Concilium Con-  
 stantinense ad meliorem vitam transferunt,  
 non nominentur, nisi sub nomine MINO.  
 RUM: cum Ordo usque ad illud tempus  
 fuerit indivisus. Qui verò expost mortui  
 sunt in Regulari Observantia, vel inter Re-  
 formatos, Discalceatos, Recollectos; sicut

„ & inter Conventuales , & Capucinos , ad-  
 „ scribantur Instituto illi , in quo vixerunt , &  
 „ ad alteram vitam transferunt . Taliter enim  
 „ conservabitur Charitas , pax , & concordia  
 „ inter omnes Seraphici Patris Familias &c.  
 „ dat. Romæ 27. Martii 1729. N. M. Cardina-  
 „ lis Larcari. „ Ità habetur in Libro , cui titu-  
 lus : *Regestum de Constitutionibus , Brevibus , De-*  
*cretis , Rescriptis , aliisque recentioribus Romanae*  
*Curia monumentis &c.* edito Romæ 1731. pag.  
 294. N. 23. Interim hâc Pontificâ Dispositio-  
 ne non obstante (quæ omnibus utique Minorit-  
 tanis Familiis communicata fuit , ac inculcata )  
 prodiit nihilominus anno 1739. in Italico Idio-  
 mate Liber ille Antonio Lucci prætense adscrip-  
 tus ; idémque Treviris anno 1743. formis  
 etiam latinis datus est , ne exspectata cum pace  
 concordia longius iret .

Num. 7. Quia autem nec mens , nec spatum  
 mihi est , præfatum illum Librum ex professo ,  
 & secundum ordinem oppugnare , ad nonnulla  
 respondebo principaliora argumenta , quæ  
 equidem huic Libro non tam sunt propria , quin  
 & aliis , eandem super Observantes antiquo-  
 ritatis prærogativam prætententibus , sint  
 communia ; ut obscurum alias , ipsis præsertim  
 extraneis , divisi Minoritani Ordinis Systema ,  
 sub debita veritatis pulchritudine , magis ap-  
 pareat elucidatum . Ad solutiones autem simi-  
 lium argumentorum trahor à M. Verino , qui  
 probè

probè advertit, quòd in hac parte contra Observantes tenere, pròque Conventualibus agere, nedum sibi proficuum, sed & perquam necessarium sit, ad stabiliendum principale suum intentum, quod per totum *Discursus* suum *Polemicum* manifestat: Videlicet, quòd sicut Observantes Conventualibus prætense posteriores, illis Strictiores sunt; ita & posterior PP. Capucinorum professio tam his, quam illis in Strictiori Regulæ Observantia sit ab omnibus anteponenda. Quid autem in hoc Juris sit, indicat eadem omnino Observantiorum, & Capucinorum professio, similisque per omnia inde resultans substantialis obligatio coram Deo, & mundo, saltè debitè informato; Quid autem sit facti, Judicabit ille, cui Pater dedit omne Judicium. Magis adhuc displicet illud, quod rudiori Vulgo vivæ vocis, si non oraculo, studiosâ saltē industriâ hinc, atque inde instillatur: quasi S. Franciscus primo à remissoribus incipiens fundâisset Conventuales; ex post ad aliora se erigens vitam fundâisset Observantinam; & tandem, ad apicem veluti Strictioris vitæ pertingens, ordinâisset Capucinos. Cui equidem paradoxo prudentiores non accedunt: scientes S. Patrem unam scripsisse Regulam, unicūmque inchoâsse conformiter ad istam Regulam Institutum, cui ut primus Minister Generalis præfuit. Tres autem Ordines à S. Fundatore instituti

tales sunt, ut Observantes, Conventuales, & Capucini spectent ad primum, Clarissæ ad secundum, & utriusque sexus Tertiarii ad tertium; juxta illud, quod in ipsius Officio decantamus: *Tres Ordines hic ordinat, primumque Fratrum nominat Minorum; pauperumque fit Dominarum medius, sed paenitentium tertius sexum Capit utrumque.*

Num. 8. Ut autem M. Verinus, qui jam tum multum argumentatus est in Ferio, primum etiam hic habeat argumentum (ex cuius, aliorumque solutione inferendum postea erit nostrum Asterium) adduco illa, quæ pag. 38. ponit, scilicet:

„ Minores Conventuales, ex quibus Observantium Congregatio prodit, hierarchice in eadem linea eosdem antecesserunt; nemo namque nescit, quod Bernardinus Pratus à Chero, omnésque Prædecessores ejus, ante Christophorum Numajum legitimè totius Ordinis Ministerium tenuerint; Unde idcirco à Nicolao V. iidem RR. Observantiae Patres appellantur Novellum Germen, prout legere est apud Waddingum ad annum 1453. N. 21.

Num. 9. Respondeo imprimis: si Observantes minus adæquate, sive minus propriè, & non prout sunt, suinas pro Trinitatis Fratribus, sic dictis de Familia, non concedo, quod à Conventionalibus prodierint, seu exitient aliter, quam exiit, seu recessit Loth ab Abraham.

Gen.

Gen. 13. id est, Fratres illi de Familia (qui postmodum per Concilium Constantiense Observantes sub Vicarius dicti sunt) segregati, & secundum quid divisi fuerunt à Communitate Ordinis, in quo tunc temporis nomen Conventualium nondum audiebatur; non autem originati, vel de novo producti fuerunt. Et locus Brulliani fuit primus illorum Conventus in tali separatione, non autem primus in eorum esse. Imò, dum hi ubique dicuntur, non quidem Conventualium, sed Ordinis Mineram (sub cuius Capite semper manserunt) Reformatores, sequitur, quòd non acceperint esse de novo, aut, quòd ut Filiales fuerint originati, novitèrque produciti à Conventualibus. Cettò certius ex institutione, Regulaque S. Francisci, nec nomen, nec vitam mitigatam Conventualium habemus; ergo hi potius de novo, post institutam Regulam S. Francisci, fuerunt originati, ergo Filiales, & posteriores ab iis, qui à S. Francisco fuerunt immediate instituti, voliti, & intenti. Observantes autem, in Regulæ Observantia perseverantes, à S. Francisco fuisse verissimè institutos, dubitare non possumus; quod ex ipsa Regula, ex plures repetito S. Patris Vaticinio (scilicet Observantes, vel si mavis, Observatores in sua Religione nunquam defuturos) apparet, & declararunt saeçimè summi Pontifices, præfertim Leo X. in Bulla: *Licet alias &c.* die 6. Decemb. 1517. Quòd Observantes sint veri, & in-

dubitati Filii S. Francisci à tempore edita Regula, sine ulla interruptione, aut DIVISIONE &c. Ex quo Pontificio Oraculo constat, Observantes nunquam divisionem in Ordine fecisse; quanto proinde illi solifecerunt, qui vel sub mutata professione, vel sub Capitis novitate, vel utroque modo sese separarunt. Ergo Observantes non possunt esse Filiales Conventualium, quin potius hi primitus in eadem Observantia geniti pullularunt; sicque velut novum quid prodierunt: quoniam nec propriam eorum vitæ contigata methodum à S. Francisco novimus institutam; nec à Sæculo immediatè ut tales venerunt, sed per introductos noviter abusus, & demum prius per legitimam dispensationem ab Observantia integræ Regulæ, ad vitam mitigatam commigravere.

Scio quidem, quod integer Ordo possit à primæva Observantia deficere, absque eo, quod alias Ordo fiat, aut legalem Capitum Successionem amittat: Cùm Ordinis cuiuscunque Materialis, seu numerica identitas à stricta, vel minus stricta Observantia non dependeat, sed disciplinæ possit admittere novitatem. Ast! tunc novitas debet esse generalis, non autem partialis, quemadmodum tempore Leoninæ divisionis vix solummodo sexta Ordinis pars Conventualizabat, seu in dispensationibus Pontificiis seorsim stare volebat, prout magis patebit ex jam dicendis.

Num.

Num. 10. Deinde , si M. Verinus , prout revera debet , Congregationem Observantinam pro moderno Corpore nostro capiat , dicat potius Conventualium particularem Congregationem ab hoc Corpore prodiisse , seu separatam fuisse , quam contra ; tale enim Corpus Observantinum tempore totalis divisionis Conventualium , coadunatum fuit , nedum ex sic dictis Observantibus de Familia , sed & ex quatuor adhuc aliis Ordinis Reformationibus , quae in Ordinis Communitate vivebant , & cum dictis Fratribus de Familia maiorem suppositorum Ordinis partem , simulque juxta Regulam Saniorum , constituebant ; à qua proinde Conventualium , ejusdem ab ante Ordinis pars Minor , verius dicitur in novam Congregationem separata , tanquam minus à majori . Si autem , ut dicit , Prædecessores Christophori Numajl ab ante totius Ordinis Ministeriatum legitimè tenuerint , ego ex hoc concesso benè infero , quod ergo etiam idem Christophorus talem Ministeriatum cum omnibus suis prærogativis , plenóque titulo legitimè tunc acceperit , quem successores ejus , non amplius ex Conventualibus assumendi , usque in hodiernum diem in Corpore Observantino ténent , & continuant .

Num. 11. Tandem , dum suprà objicit , quod Observantes per Nicolaum V. *novellum germen* fuerint appellati ; legat similiter Bullam Clementis VIII. quae incipit : *Ex injuncto. Ubi*

Pontifex gravissimo præcepto mandat , ne quis imposterum Observantes appellare , aut dicere audeat novos Religiosos . Ex quo ( ne Pontifex sit contra Pontificem ) colligitur , Nicolaum V. per novellum germen intellexisse novum reformati spiritus fervorem ; ubi nova Reformatio non facit personas novas , cùm se se reformantes utique præexistant , etiam in eodem Ordine . Imò reformare , ne quidem est novam vitam instituere ; sed pristinum , & contra intentionem Regulæ quodammodo sòlitum vivendi modum de novo reassumere , atque in se , & in aliis resuscitare , quæ resuscitatio communiter à paucioribus incipit , & velut germen ab initio modicum , successivè extrescens , etiam ad alias Ordinis partes se extendit ; quas equidem non facit , sed reficit , ac ad primævum fervorem reducit . Ubi adhuc adverto , duplicem dari reformationem , propriam scilicet , & minus propriètatem : prima importat restitutionem Religionis per inobservantiam regulatis disciplinæ collapsæ ad primævam Observantiam ; & hæc vocatur *necessaria* , ad eamque datur compulsus , etiam appellatione remotâ , ut haberit c. *Relatam. ne Cleric. vel Monach. sicuti &c. ad nostram, de Appellat.* quia non est reformatio professionis , sed vitæ ad emissam professionem instituendæ . Atque hujus generis erat Reformatio Observantina ; & forte in toto Ordine Minorum hæc eatenùs sola , quatenùs omnes alias reformatio[n]es secum traxit , & involvit per unionem

Leo.

Leoninam. Alia libera est, nec proinde admittit compellum, utpote, quæ non tam est transitus ab inobservantia ad observantiam; sed voluntariè præter, vel suprà Regulam assumit aliqua ad plenam etiam Regulæ observantiam non necessaria; & hæc importat semper aliquam Reformatos inter & Ordinis Communilitatem, accidentalem differentiam, quæ nata est parere divisionem.

Num. 12. Et ita per totum sentit P. Daniel Coacina, dum in sua *Disciplina Apostolico-Monastica*, part. 2. Dissertat. 1. cap. 1. de sacro Prædicatorum Ordine sic scribit: „Quanquam aliquæ particulares Reformationes præterantur, tiquam Regulam nova etiam statuta superad- dant, quæ instaurationes recentibus statutis, & constitutionibus roboratae, divisionem quandam invehunt in ipsam Religionem: hinc factiones, schismata, & Civile bellum. aliqui tamen Regularium Ordines similem Reformationem, quæ divisionem parit, & diversitatem, respuunt, potissimum Ordo Prædicatorum, qui, ut cæteræ antiquæ Reli- giones, pestis, bellorumque calamitatibus la- befactatus, in sui reparatione, divisionis mas- lum non sentit, avitas leges, & præcas con- suetudines, omni, sive Vestitus, sive aliarum terum mutatione sublata, puras servarunt, prudentissimi instauratores; tum, quod per se sat sint ad perfectionis metam asequendam,

tum, quod perenni Ordinis unitati magis  
 congruere visum fuit. Eam itaque Reformationis  
 imaginem respuit Religio haec, quae re-  
 centium Cæmoniarum, sive Constitutionum  
 superadditione, Ordinem, quem reformat,  
 dividit: Illam vero Reformationem, quæ  
 cujuscunque divisionis umbrâ pulsâ, Capitis  
 supremi, legumque unitatem ad amissim let-  
 vans, collapsam disciplinam ad pristinum  
 splendorem instaurat, non modo amplectitur,  
 verum etiam omni conatu eam promovet.,  
 Ita ille, cum quo etiam incidit P. Fontana consti-  
 tut. Ord. Prædicatorum part. 2. pag. ultimâ di-  
 cens: „ Ne hoc Reformationis nomen, quo  
 sapius in his ordinationibus, occasione repa-  
 randæ Regularis Observantiae, jam ferè tempo-  
 rum injuriâ in nonnullis Provinciis collapsæ,  
 utimur, aliquod fortè præjudicium Ordinis  
 nostri unitati (invidiæ & ambitionis igne ex-  
 citante Diabolo) progressu temporis generati  
 possit, animadvertant omnes Ordinis nostri  
 Fratres, nihil aliud per idem Reformationis  
 vocabulum intelligi debere, quam regularem  
 vitæ Observantium juxta sacras nostras Consti-  
 tutiones, & acta nostrorum Capitulorum Ge-  
 neralium, non mutato habitu, nullisque no-  
 vitatibus, aut Cæmoniis inductis, præter  
 usque modò communiter receptas, & appro-  
 batas: quam quidem Observantium omnes  
 Ordinis nostri Provincias amplecti cupimus. „

Num.

Num. 13. Ut autem ad rem nostram redeamus; præ omnibus consideret M. Verinus, an S. Franciscus ab initio non intenderit fundare Fratres Regulam suam ad Litteram Observantes, si non distinctivo nomine (utpote, quod seclusa divisione superfluit) factèm ipsa te tales? an non ad verisicandum eidem S. Patri in monte Palumbo factum à Christo responsum, tales Regulæ observatores semper fuerint in Ordine sine interruptione aliqua continuandi? An Observantia rationabilius dicatur à Conventionalismo nata, quam econtrariò ex professorum Observantium à Regula declinatione, ac deficientia provenisse dicatur Conventionalismus, qui quantumcunque in Ordine Minorum antiquus est, intenta tamen à Fundatore Observantiā censendus est posterior, consistebatque primitus in Observantium defectibus, donec per Pontificum dispensationes (quæ equidem à nullo Capitulo Generali admittebantur) ne, ut Pontifices loquebantur, multitudo periret, factus est licitus, & finaliter per Leonem X. in particularem Congregationem ab integris Observatoribus separatam, salubriter erectus.

Num. 14. Demum, si Conventionalismus, teste Authore *Rationum Historicarum*, ipissima sit factio Eliana, vivente adhuc S. Francisco, per Fratrem Eliam de Cortona, primum Relaxatorem, idéoque expost per Gregorium IX. perorante contra Frat. Eliam S. Antonio Paduano depositum, incepta,

cepta, & continuata ; Anzelosi propterea Regula Observatores suam in personis successionera non habuerunt, fallente supra dicto Christi promisso, qui & addebat, in hisce, etiam, si oporteret, de lapidibus suscitandis, Ordinem perduraturum ? An hi forsitan, quia Regulæ relaxationes solebant admittere, excluderunt de Ordine, ad cuius integrum Regulam voto, & opere se tenebant alligatos ? tunc, ne hoc esset Filios Rechab ob obedientiam ad Patrem, & Machabœos ob Zelum Legis à populo Istrælitico excludere; non obstante, quod de prioribus Jeremiah 35. Propheta enuntiet dicens : *Hac dicit Dominus Exercituum, Deus Israël : pro eo, quod obediens præcepto Jonadab Patri vestri, & custodiens omnia mandata ejus, & fecisti universa, qua præcepit vobis, propterea hac dicit Dominus Exercitum Deus Israël : non deficiet vir de stirpe Jonadab, Filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* In Machabœis similiter constat, Principatum fuisse continuatum, tanquam in virtutis de semine eorum, per quos salus facta est in Israël.

Num. 15. Tandem, ut M. Verinus me, sumque superius argumentum capiat à simili : Ponantur sex populi, apptobante Rege, sub uno Capite ex & à se ipsis eligendo coadunati ; addaturque, quod ex populo B. nedum semel, atque iterum, sed continuatâ etiam per aliquod tempus electionum contingentia ejusmodi Caput (quod equidem

equidem super omnes sit) eligatur. Aliis deinde quinque linguam Patriam tenentibus, ac continuantibus, populus B. linguam assumit à lingua patrī notabiliter alienam, quod ipse Rex ægrec ferens, totumque populum unius labii esse desiderans, vult populum B. ad communiorē linguam patriam reverti, nolentemque ab electione tam activa, quam passiva veteris Capitis excludit, atque in particularem populum sub novo, aliterque nominando Capite, à se seorsim eligen-  
do, constituit. Estētne nunc dicendum, quod quinque isti populi sub suo Capite (cui soli suorum Prædecessorum titulus attribuetus) Regiā Constitutione in unum Corpus, omissa diversitate nominum, etiam sub uno nomine perpetuò adunati, prodierint à populo B? vel an non potius è contra? Totum hoc invenis, & habes in divisione Leonina; ubi tribus Conventualium, ob defectionem, quantumcunque legitimam à Patriis legibus, seu à Minoritanæ integritate Regulæ totaliter tandem divisa fuit à quinque aliis, litteralem Regulæ Observantiam continuantibus, scilicet à Coletauis, Clarenis, Amadasis, à Fratribus de S. Evangelio, seu de Caputio, nec non à sic dictis Observantibus de Familia, qui omnes majorem præexistentis, seu indivisi Ordinis partem constituentes, in unum Corpus Observantium, aut Regularis Observantia deinceps appellandum, sub continuanda antiqui Capitis appellatione, ac successione fuerunt adu-

nati

nati per Bullam: *Ite & vos &c.*; quæ & propterea à unionis dicitur. Et hoc nihilominus, ex tunc modò vastissimum Corpus, à M. Verino venditur à Conventualibus proditisse, sicut ovum à Gallina, vel saltèm sicut infans major Matre suâ; Ast! *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex?* nunquid potest in ventrem Matris sua iteratō intrare, & renasci? Joan. 3. v.4. Sanè Rebecca, in duobus masculis, duos gerebat populos, qui in materno utero Campum Martium erigebant; quid factum fuerit, si quinque populi simul, & semel proditisse dicantur de utero unius? interim admiranti Rebeccæ dicebatur: *duæ gentes sunt in utero tuo, & duò populi in ventre tuo dividentur, populùsque populum superabit, & major servies minori.* Gen. 25. Vers. 23. Mater autem nostra *Ordo Minorum* est, qui pro gloria Dei, & proximorum salute genuit hos, & illos, omnes Minorores.

Num. 16. Ego PP. Conventualibus suam antiquitatem non disputo, eorum tamen comparativè ad Observantes per M. Verinum allegatam antiquioritatem (nisi æquivocare voluerit) non æquè capio; prout enim in præcedentibus non nihil memini, si Ordinem Minorum, sub qualicunque divisione considerem, hunc mihi de necessitate conceptum, tam quoad rem significatam, quam quoad nominis significationem, ingerit ipsa Arbor prædicamentalis, Philosophorum communi calculo recepta: Ubi genus non divi-

dividitur, nisi per appositas differentias, cum quibus, salvâ suatum quidditatum essentiâ, species alias, & alias constituit: sic animal cum rationali, & irrationali suis dividentibus differentiis, hominem constituit, & brutum, de quibus, utpote illæsum, & integrè in eorum constitutione ingredientes, univocè prædicatur. Quod si generi aliquid apponatur, quod non habet aliud membrum, aut cui contrarie, aut relativè, aut disparatè opponatur, id non habebit rationem propriae differentiæ essentialis, ut dum dico: *animal domesticum, mansuetum &c.* At, si illud, quod apponitur generi, aliquid exprimat, quod sit de quidditate generis, ut alias dixi, non aliud, quam rationem generis reduplicat, ut dicendo: *animal vivens*; cum *vivens* sit de animalis quidditate; si vero, quod generi apponitur, aliquid importet generis quidditati contrarium, vel ei accidentaliter solum adveniens, id minuit de quidditate generis, & de constituto per tale genus.

Num. 17. Statuamus ergo tanquam genus *Fratrem Minorem*, de cuius substantia est paupertas, etiam in communi: si hoc genus dividendum est, tanquam per duas differentias formales, per *Conventualem scilicet & Observantem*, oportet, quod differentiæ tales sint, ut superaddant, non ledant, aut minuant generis, id est, *Fratri Minoris* quidditatem. Et sic est, quod *Frater Minor Observans* nihil importet præter

Fra-

Fratrem Minorem in pura suæ Regulæ Observantia permanentem, quod est de quidditate generis, nempe Fratris Minoris. *Conventualis* autem laedit, seu minuit de quidditate generis, id est, *Frater Minor* in esse tali formaliter per paupertatem in communi constituantur, & a cæteris Religionibus, etiam per Tridentinum distinguantur; Utrum ergo genus hoc de sic diminuto prædicetur univocè, vel analogicè, item an *Conventualis*, vel *Observans* importet differentiam Fratri Minoris utrumque essentialē, & consequenter coævam, & non de novo accessoriā, judicent alii.

Num. 18. Quid ergo pro veritate dicendum? concludendum saltēm contra M. Verinum, agrum alienum irrigantem, quod ante transgressionem puritatis Regulæ, viguerit Observantia illius in Ordine; quod privilegia non fuerint ante transgressionem, cum ad assecurandas declinantia à Regulæ puritate conscientias fuerint concessa; quod Conventuales hodierni tales sint per privilegia, & consequenter, simul tempore cum privilegiis, sique posteriores Fratribus Minoribus simpliciter; unde cum Frater Minor Observans sit Frater Minor simpliciter, dicendum, non Observantes à Conventionalibus, sed hos ex illis produsse. Nisi aliunde evinceretur, quod Observantes *Fratri Minoris*, seu Minoritanæ Regulæ aliquid

aliquid novi, seu supererogatorii addidissent, Reformationemque Voluntariam, Regulæ non coœvam instituisserent. Ast! utinam illius contenta, originaliaque præcepta, quibus nos equidem ex integro adstrictos agnoscimus, sicut in voto, ita & in opere Sancte servaremus.

Num. 19. Miror tamen ab aliquibus mussitari, per Fratres Minores simpliciter dictos intelligi antonomasticè, & veluti principales, ipsos Conventuales, credendo per Bullas Pontificias id probari, dum unâ aut alterâ vice in Bullæ alicujus simplici narrativa, ac fortè ex errore amanuensis *Fratres Minores* finè addito, fuêre appellati. Sanè, qui hæc dicit, advertat gravissimum inconveniens, ex hinc inevitabile; nempe Ordinem Minorum non sub nudipedio, non finè pecunia, sub vilibus Vestimentis, duabus ad summum tunicis, aliisque hujusmodi vitæ rigoribus, qui in aliis Minoritis adhuc perseverant, ac præcipue sub omninomoda etiam in communi paupertate (quæ est Franciscanæ Religionis à Cæteris, aut unicum, aut primarium distinctivum) sed sub laxiori forma Conventualium esse institutum, quod non modo per universalissimum populi Christiani conceptum; per omnes de Ordine Seraphico scribentes; per universas Romanorum Pontificum Litteras Decretales; sed & per ipsissimam Regulam Minorum, Christo dictante, à S. Fundatore conscriptam, evidentissimè de errore

convincitur. Si dicas, Conventuales ab initio strictè ad Regulam vixisse; Respondeo, quòd tunc veri etiam Observantes dici potuissent, si nomen hujusmodi distinctivum, stante tunc Ordinis perfectâ unitate, superfluum non fuisset, dum de nomine Conventualium nihil etiamnum audiebatur in Ordine. Insuper quæro; an ex post ad laxiora declinantes omnes ad se Regulæ professores traxerint, & pertraxerint? An non ad verificandum Christi promissum perennes in eodem Ordine Socios habuerint Regulæ Zelatores? imò verò Zelatorum Regulæ integra congregabantur Capitula Generalia, quorum nullum ostenderis relaxationem publicè admisisse; Zelantia non minùs invenies Generalia Ordinis Capita, & quidem omnia, si tres exceperis Generales, qui propterea fuerunt etiam ab Officio depositi, quam depositionem quartus non evitâsset, nisi zelum Regulæ saltè simulâsse; de quibus fusior Minoritana Historia. Ast fueruntne hi dicendi Conventuales? Concedimus quidem nomen *Conventualis* ante Bullam Unionis, seu ante annum 1517. in Ordine Minorum extitisse, quòd autem sit coæcum titulo *Observantium* à Constantiensi Concilio assignatum, nec concedere possumus, nec alii audebunt explicitè producere. Cùm ex ipsa Bulla Concilii evincatur, nihil tale fuisse nominatum.

Num. 20. Si dicas, reformatum esse ante refor-

reformationem; primi autem Observantes reformatrunt Ordinem Franciscanum, & hic esse non poterat, nisi de Conventualibus, qui per Observantes fuere reformati, ergo Conventuales Observantibus præexistebant: quod enim reformatur, hoc est, vel existit. Respondeo Imò sic retorquendo: reformare est agere, sed agere supponit esse, ergo jam erant, jam ante reformationem præexistebant Observantes, qui reformabant. Sic ergo arguatur in forma: Observantes reformabant, ergo erant: Conventuales reformabantur, ergo erant: bona est, & æqualis utraque consequentia; unde igitur ex hoc argumento probatur antiquioritas Conventualium, inter partes æquo Jure præexistentes? Deinde solidiori veritate respondens dico, quòd Reformatores illi primò reformarint se ipsis, & ex tunc, dum nihil adhuc de Conventualibus in Ordine audiebatur, alios reformabant, & post se trahebant *Fratres Minores*, sicutque reformatio *Ordinis Minorum* constituebatur: & hi Fratres Minores erant illud reformatum, & reformatum, quod præexistebat, supervenientemque Reformationem in se suscipiebat, licet non ex toto.

**Num. 21.** Ut non nihil jam accedamus ad Librum, ex quo, & in cuius favorem M. Verinus mihi antiquoritatem Conventualium quasi indubitatem objicit; præmitto, non-

nullas prædicti Libri compacturas in Latino  
præferre imaginem repræsentantem ab una la-  
terali parte Scriptores, qui Conventuales Ob-  
servantibus tenent antiquiores, & ab alia par-  
te antiquos Ordinis Conventus, cum hac in-  
scriptione: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*  
Et quidem hæc imago satis aptè quadrat ad  
istum Librum, utpote, qui potissima sua ar-  
gumenta contra Observantes ex binis fon-  
tibus educit; unde in malum mihi vertendum  
non puto, si sinè animo præjudicandi, ad simi-  
lia argumenta non nihil respondeam, ne veri-  
tas ipsa, quæ apertum amat, sub æquivoca-  
tionibus abscondatur. Quisunque fit illius  
Author (quem ad imitationem Apologiae suprà  
mentionatæ *Rationistam* appellare licebit) se-  
quens objicit argumentum per Caput XI. ex-  
tensem: Ante annum 1368. in nullo Ordinis  
Conventu erant Fratres *de Familia*, utpote,  
qui isto anno primum suum *Brullianum* Con-  
ventum acceperunt; atqui Fratres de Familia  
sunt Observantes, ergo ante istum annum in  
nullo Ordinis Conventu erant Observantes.  
Respondeo, argumentum laborare in æqui-  
voco, procedereque à non distributo ad distri-  
butum, veluti hoc: ante annum 1492. in Eu-  
ropa non erant Americani, atqui Americani  
sunt homines, ergo ante istum annum in Euro-  
pa non erant homines. Ubi, si reponas, Ame-  
ricanos esse quidem homines, sed non omnes  
homi-

homines , cum homines etiam dentur non Americani ; ego pariter dico , Fratres *de Familia* esse quidem Observantes , sed non omnes Observantes , cùm plures dentur Observantes , qui nunquam fuerunt *de Familia* ; scilicet suprà enumerati quatuor adhuc , præter Fratres *de Familia* Observantini populi , qui sub Ministris in Ordinis Communitate vivebant , sícque , si non seorsim , neque sub diu , saltè cum Conventualibus in iisdem antiquioribus Conventibus habitabant , esto protunc talia nomina distinctiva nondum obtinuissent : non enim est quæstio de nominibus (cùm in Regula solum fundetur nomen *Fratrum Minorum* , sed de personis Zelum Regulæ habentibus , quos , si dixeris à tempore S. Francisci , usque ad denominationem *Fratrum de Familia* continuam in Ordine successionem personarum non habuisse ; sed vel defecisse , vel extra Ordinem positos fuisse , fallit promissum Christi , de quo suprà .

Num. 22. Imò verò talis Regulæ Zelatores semper erant , & post etiam aliqualem Fratrum *de Familia* recessum , manebant per Ordinis Communitatem , etiam in antiquioribus Conventibus dispersi , veluti S. Patri divinitus promissi ; dum relaxatores solum erant ab ipso visi , & prævisi ; per primos idem S. Fundator consolabatur ; per secundos (quos non minùs in suo Ordine continuandos præsentiebat) in Spiritu

conturbabatur, clamans in monte Palumbo ad Christum Dominum: *Nonne dixi ubi, quod Regulam non vellent servare?* Cui deinde Dominus, quasi eum de pusillanimitate arguens, audientibus F. Eliâ, ejusque Asseclis, primis relaxatoribus, dixit: „Quid turbaris Homuncio, quasi tuum hoc opus esset? Tûne Legislator? Tûne hujus vitæ Præceptor? Nonne omnia Regulæ præcepta à me præscripta? nonne Tabulae hæ à me formatæ? Tu dum taxat tenue hujus operis instrumentum, & calamus scribentis. Novi ego, quid dicaverim, novi, quid velim præcipere. Vires humanæ mihi compertæ sunt; scio, quid possint, & quantum ego valeo, & volo conferre subsidium: Volo ergo, ut hæc Regula servetur ad Litteram, ad Litteram, ad Litteram: sine Glossa, sine Glossa, sine Glossa. Si ergo nolint isti observare, deturbatis tanquam discolis, & rebellibus ex hac Sodalitate, illorum loco alias substi- tuam, & si opus fuerit, noviter nasci, & oriri faciam, atque de Lapidibus istis sacerdos hujus Instituti Sectatores resuscitabo. Ità Monumenta Ordinis apud Wadding. ad annum 1223.

Num. 23. Deinde, si etiam Observantes præcisè sumerentur pro istis *Fratribus de Familia*, altera adhuc involvitur æquivocatio, dum dicitur, Fratres illos ad annum 1368. Conven-

tum

tum Brullianum accepisse, & Conventuales anno 1228. ad Conventum Assisensem, & ad plures alios in Vicinia istius temporis positos fuisse. Verius enim dici deberet: *Conventus Assisensis*, qui nunc à Conventualibus inhabitatatur, fuit anno 1228. fabricatus, ad eumque Fratres Minores positi; Ex quibus aliqui, paulatim que multi, ad laxitatem declinárint, nonnullis semper in pura Regulæ Observantia permanentibus. Hic cum Authore Orbis Seraphici Tom. 2. Lib. 6. Cap. 16. §. 4. oportet non nihil declarare, quomodo primæva, & antiqua Ordinis nostri Cœnobia, à populis, & Principibus Seraphici Patriarchæ, Filiorumque ejus altissimam paupertatem, omniumque rerum abdicationem admirantibus, & venerantibus fabricata fuerint, pro hujusmodi pauperum Minorum incolatu; & quomodo tandem magna ex parte illis cesserint, qui post introducta libertatis Privilegia *Conventuales* fuerunt appellati.

Num. 24. Nimirum cùm ad rigorem Minoritanæ paupertatis vivere, nonnullos tædere cœpisset, horumque malo ab exemplo Ordinis Communitas processu temporis infecta langesceret; tametsi, ut suprà notavimus, Ministri Generales, & Ordinis Comitia, frustra tamen, clamarent in contrarium; ipsamet Communitas Religionis per plurimos abusus, deinde ad rectificandas Fratrum Conscientias, per

Apostolica mitigativa Privilegia cœpit à rigore primævo relaxari. Pars ergo illorum, qui in ipsa erant, præ Cæteris suæ professionis Zelotes, ad fugienda laxiorum Jurgia, & Contentiones, satiùs Judicarunt, de licentia etiam Superiorum Ordinis, extra aliorum consortium in locis pauperioribus, imò & in tuguriis, ac Eremitoriis vivere, propterea *parva Familia*, de hinc ab ipsa Regulæ pura Observantia *Observantes* fuerunt appellati. Gaudebant etenim succedentes sibi Ministri Generales, quoniam multitudinem jam ad libertatis semitam proclivem ad rigores revocare non valerent, in illa saltèm *Familia* ab Observatoribus Franciscanum Institutum ad *Litteram conservari*, & Observantiaz hujusmodi Assertores paternè confovere non cessabant; prout fusè habetur in Annalibus.

Num. 25. Pauciores ergo Zelotes, ad pauciora loca secedentes (NB. non exigua etiam adhuc Zelatorum pars, licet nondum specialiter nominata, ex quibus quatuor ex post reformati populi, inter laxiores permixtini remanebat) successivè dum excrescerent, nova Cœnobia ut plurimum ex populorum devotione constructentes, Cæteri rigores vitæ semper magis, & magis abhorrentes, antiqua, & insigniora Cœnobia sibi reservarunt, imò & Ordinis Sigilla, atque præminentiam in Ministeriatu (quod illis, aliis non appetentibus, facile erat)

re-

retinuerunt; unde natum est, quòd Ministri tunc ex Conventualibus electi dicantur. Cùm tandem illi, qui Regulæ puram Observantiam conservârunt, juxta S. Francisci Vaticinium, suprà Laxiores citius excrevissent, ad Imperatoris, Regum, Principum, ac populorum instantias, Leone X. Pontifice pro Justitia causa decernente, ad hoc, ut in primævo S. Founderis Instiuto, & in ejus Observantia Religio-nis præminentia coruscaret (Laxioribus à sua vita mitigata ad pristinum vitæ rigorem juxta piissimam Pontificis requisitionem, reverti no-lentibus) adjudicata sibi receperunt Ordinis Sigillum, titulum, & præminentiam *Ministri Generalis totius Ordinis Minorum.*

Num. 26. De Conventibus verò in Bullis *Unionis*, & *Concordia*, idem Pontifex, ad tuendam pacem, sic determinabat, ut videlicet loca omnia per Conventuales jam divisos inhabitata tempore Capituli illius Generalissimi de anno 1517. ab Observantibus ullo pacto usurpari non possint, ad etiam Dominorum instantias, nisi ubi Conventus integer, aut ejus major pars Reformationem ultrò elegerit. Quid clariùs desiderari potest ad intentum ex ore Pon-tificis? Cùm etenim gravissimè dolerent Con-ventuales, se se quotidie extra Domos exactos, habitationem alibi querere teneri, & successivè diminui, eò libentiùs piissimi Pontifices eorum querelis condescenderunt, non ignoran-

tes allunde, quod longe facilius nova pro Observantibus, quam pro Conventualibus Cœnobia extruerentur à sacerdotalibus. Et ita Conventualitati conservatæ sunt domus, quas possidebant. Ecce igitur, cur Privilegiorum Sectatores majorem (in Italia præsertim) Conventuum antiquorum numerum retinuerint. Quot autem, quantique tumultus in seculo tunc temporis extiterint, legimus in Historiis: Dolentes siquidem Principes, & populi, quod Domus olim à suorum pietate, pro Litterali S. Francisci Instituto fabricatae, à relaxatis possiderentur, postulabant eas illis restituiri. pro quibus ab initio fuerant erectæ; nisi modo prædicto Pontificum pietas aliter providisset; & ipse Deus pro majori Ecclesiæ suæ bono separatam hanc, & in mitiori equidem professione sua exactissimam PP. Conventualium Congregationem conservare, & propagare descrevisset.

Num. 27. Exotica insuper ex superiori argumento hic posset induci quæstio: an S. Franciscus ergo, quæ primus Conventualis, ad primos Conventus posuerit Conventuales? Hoc quidem Rationalista altè affirmat, sed non probat, nisi exinde, quod Conventuales ab initio fuerint stricti Regule Observatores. Ad quod equidem cum modestia valet responderi, quod stricti Regule Observatores suam nunc sciant successiōnem, & primi Relaxatores, expost legitimè relaxati, pariter sciant suam, multiplicatis Pontifici.

tificum Diplomatibus utrimque assignatam.  
Quæri etiam posset 2dò, An Christiani Orientales,  
utcumque à Romana Ecclesia dissidentes antiquiores  
præ aliis dicendi sint Christiani, præsertim  
Antiochiae, ubi primùm Discipuli vocati sunt  
Christiani? Ad quod, salvo meliori, & prote-  
stando, quod nullatenus ponam paritatem in  
ratione hæresis, vel Schismatis, Respondeo:  
Quod sicut hi descendunt ab antiquis Catholicis,  
& facti sunt in novam gentem à Romana Hierar-  
chia separatam; sic quoque illi, qui defacto in-  
habitant plures ex antiquis Conventibus Franci-  
canis, descendant ab antiquis Regulæ Minoritanæ  
Observatoribus, pro quibus antiqui illi Conven-  
tus ædificati fuerant, & tandem ab Anno 1517.  
sub Leone X. facti sint in gentem novam Conven-  
tualem, sumendo scilicet Conventuales propriè-  
tatem ab illo tempore, sub mutata extunc, & non  
priùs, formula professionis, erecti sunt in Ecclesia  
Dei in peculiarem Familiam Franciscanam, à de-  
clarato Legali S. Francisci unico successore separa-  
tam. Quam paritatem, ut iterum protestor, nolo  
intelligere, aut ab aliis intelligi, nisi quatenus  
tam hi, quam illi recesserunt ab antiqua Capitis,  
& Ordinis successione, licet utrumque localiter  
non sint mutati; Cùm unitas alicujus Ordinis,  
illiusque in tali unitate continuata successio non  
dependeat à locis: alias cùm Augustiniani ince-  
perint in Africa, Carmelitæ in Afia: sic, si in  
illis mundi partibus perderent omnes suos Con-  
ventus,

ventus, cessarent esse de antiquis illis respectivè Religionibus, quod nemo dicet: quia ejusmodi successio dependet potius ab unitate professionis Regulæ, seu ab eodem modo tendendi ad perfectionem, atque à persistentia sub unitate Capitis per non interruptam lineam legaliter, & legitimè descendenter, ac succedenteris.

Num. 28. Addiderim tamen, primum Ordinis Conventum, qui B. Mariae de Angelis, seu *Portiuncula* dicitur, esse sub possessione Observantium. Et licet pro hoc in dubium vocando, Rationista hunc numeret 2dum, statuātque primum Minoritanum Conventum esse, & fuisse illum, quem PP. Conventuales habent *Rivotorti*; attamen imprimis observat Author *Orbis Seraphici* Tom. 2. Lib. 6. pag. 238. quod talem Conventum nec in Memoriali Ordinis, nec in Bartholomeo Pisano, nec in Mariano, nec in Francischina, nec in Waddingo Minoritarum antiquitatum accuratissimo Indagatore, memoratum inventiamus. Deinde Historia habet, quod S. Franciscus cum primis suis sociis per tempus pernoctaverit in Tugurio *Rivotorti*, quod tunc erat, & expot mansit umbraculum commune pro omnibus transeuntibus; & à Pisano Conformat. 5. fol. 30. *Stabulum* appellatur: quod proinde, quia Sanctus solebat publico usul subtrahere (prout & concessionem ejus nullibi legitur obtinuisse, vel petuisse) deseruit; postquam in eodem cum locis deliberans resolvit adire Episco-

pum,

pum , à quo petendum esse dixit locum habita-  
tioni aptum , quem tandem , coram Episcopo  
repulsam passus , obtinuit à PP. Benedictinis in  
loco , qui *Portiuncula* dicitur; ubi dein cum suis  
habitavit , Capitula celebravit , ad commune  
stabulum *Rivotorti* non reverlus. Sanè refert de  
hoc loco Bartholus de Assisio *Dist. 1. §. Recollige-*  
*bat. in Cod. M.S. sacri Conventus Assisensis sequen-*  
*tia* , Cùm ibidem moraretur (S. Franciscus)  
,, accidit, ut die quādam quidam asinum ducens  
,, devenerit ad umbraculum, in quo vir Dei cum  
,, sociis morabatur ; & ne patetetur repulsam  
,, adhortans asinum suum ad ingrediendum  
,, locutus est verba hæc : *Vade intus, quia loco*  
*hic bene faciemus* : quod verbum S. Francis-  
cus audiens , graviter tulit, illius viri cognos-  
cens intentionem ; putabat enim illos ibidem  
morari velle , ad augendum locum , & ut  
domum domui copularent. Statimque S.  
Franciscus regrediens inde , relicto Tugurio  
illo propter rustici verbum , transtulit se ad  
locum alium non longè ab illo, qui *Portiuncula*  
dicitur , ubi Ecclesia S. Mariæ ab ipso fuerat  
reparata. „ Ecce detuit animus morandi, qui ad  
figendum domicilium, præter consensum Domini  
fundi requiritur.

Num. 29. Tandem in illo loco *Rivotorti* non nisi  
priori sèculo fuit Conventus fabricatus operâ  
Rmi P. Catalani de S. Mauro Conventualium Ge-  
neralis, electi 1647. postquam Anno 1455. sub

Pon,

Pontificatu Calixti III. ibidem erectum fuisset Sacellum per Franciscum *Saccardinum* Ordinis Minorum. Quia vero M. Verinus me ad producenda authentica, suâ incredulitate assuevit, ut cognoscatur, tam prædictorum veritas, quam quæstionatum locum primis Franciscanis non fuisse concessum; sed post secula prius concedendum, produco sequentia: „ *In nomine Domini amen.* „ Hæc est Copia sumptus, seu transsumptus cuiusdam Instrumenti, rogati a q.D. Constantini Francisci Ageluti Calzaveridis, olim Notarii publici Assisiensis de Anno 1455. tempore Pontificatus Ss. in Christo Patris, & D.D. Calixti PP. III. sub die 12. Junii existentis inter alia in Archivio publico dictæ Civitatis, in Protocollo octavi folii, pag. 49. tenoris sequentis, videlicet: *Licentia concessa ædificandi Ecclesiam, & Altare in Contrata, quæ dicitur Rigo-torto Comitatū Assisi.*  
 „ Dominus Franciscus Vitalis, Canonicus S. Rufini, Vicarius Episcopi Assisiensis, afferens se habere ad hæc speciale mandatum, ... per se, & suos successores dedit, & concessit licentiam Fratti Francisco, alias Saccardino, de Ordine Minorum, ædificandi quandam Capellam, Ecclesiam, seu Majestatem cum Altari apto ad celebrandam Missam in Comitatu Assisi; in Contrata, quæ dicitur *il Ponticello di Rigo-torto Comitatū Assisi*; super quibus mandavit omnia prædicta, & dictum F. Franciscus,

„ ciscum, & alios fabricantes dicto nomine non  
„ molestari; Rogatus &c.

„ Et quia ego Angelus Victorius de Frondiis,  
„ publicus authoritate Apostolicā Notarius, Col-  
„ legii Assisiensis, & ejusdem Civitatis Archivista  
„ prædictam Copiam ex dicto Protocollo de verbo  
„ ad verbum fideliter extraxi, & factâ collatione  
„ concordare inveni &c. Ideò ad fidem hic me  
„ subscripsi, & publicavi, ac solito signo mu-  
„ nivi hâc die 10. Martii 1709. loco † signi.

„ Et quia ego Joannes Thomas de Lucangelis  
„ publicus authoritate Apostolicā Notarius  
„ Collegii Assisiens. suprà dictam Copiam ab alia  
„ consimili, quæ etiam mihi &c. . . extrahere feci,  
„ & factâ collatione concordare inveni. . . Ideò  
„ ad fidem hic me subscripsi, & publicavi, meo-  
„ que solito signo munivi hâc die 21. Octob.  
„ 1709. requisitus &c. loco † signi.

*Ex Archivio S. Mariae Angelorum de Portiuncula in Protocollo scripturarum Miscellanearum  
sub titulo : Fundatione di Rivotoro.* Hæc ru-  
minent illi, qui contra quoscunque volunt, Ri-  
votorum primum omnino fuisse Minoritani  
Ordinis Conventum; ut & ex eo primatum alle-  
gent.

Num. 30. Scriptores pro antiquitate Con-  
ventualium, ut prætenditur, scribentes, enu-  
merantur in Cap. 2. scilicet Sylvester Marulus in  
suo Oceano Religionum dicens; Anno 1368.  
*Observantia florere cœpit.* Marcus Guadalaxara

Car-

Carmelita in *Historia Pontif. Reformatio Observantium exivit à Conventualibus.* Adducuntur ex Observantibus Haroldus, Waddingus, Hieronymus Roderiquez, Ludovicus Miranda; & præter hos Joannes Franchinus Ord. Conventual. Procurator Generalis ex suo Opusculo 2do de Antiquotitate Franciscana (ex quo Author *Rationum Histor.* multa argumenta sumpxit) post Emmanuēlem Rodericum plures adhuc citat Observantes, qui respectivè dicunt, quod Observantes exierint à Conventualibus, quod Observantia Regularis cœperit, quod Ordo, & Religio Minorum cœperit reformari, quod Reformatio Ordinis 1368. humile, & Stabile sumpserit initium; jecerit fundamentum &c. Ast! ut supra N. 9. & aliæ visum est, Reformatio talis Capit in esse separari à laxioribus, & non quasi esse suum de novo tunc receperint Observantes, cum à tempore S. Francisci nunquam esse desierint. Exire pariter non est Originari: nam & Abraham exivit ab Ur Chaldaeorum, & Loth à Sodomis, nunquid nati, & progeniti tunc fuerunt? Filius Dei, qui dixit: *Exivi à Patre, & veni in mundum*, forte à Patre, & in Patre, & coeternus Patri, non fuit, priusquam veniret in mundum? sanè exire supponit esse, idemque, quod separari significat. Aliæ Authoritates adductæ magis adhuc ad nostrum sensum petunt intelligi, quod Ordo, & Religio nostra inceperit, non qualitercumque, sed reformari, quod non

im.

importat transitum de non esse ad esse, sed de esse ad melius esse; Imò, ut addidimus suprà, Reformatio nequidem est ad *novam* vitam, sed transitus est à vita collapsa ad pristinam, quæ non est vita simpliciter, sed vita renovata, sicut reformata; ex quibus corruunt omnes contra Observantes illatæ Consequentiae.

Num. 31. Deinde si Authorum velit quis sensum indagare, non debet illos legere in locis tantùm, ubi solum narrativè, & incidenter aliqua scribunt, & vix de tanta energia, pro parte contra partem, ex verbis suis trahenda, cogitant; sed ubi ex professo circa contoversiam decidunt. Unde, ne in omnibus readucendis fusior sim, solius Roderici sensum, & sententiam pleniùs indagemus. Hic *Tom. I.* q. 4. art. 1. & 2. de Observantibus, & Conventualibus tractans, ex professo dicit, quod, cùm Regula S. Francisci fundata fuerit, & ab initio observata in rigore paupertatis, cœpit deinde ob causas (quas ibidem recitat) relaxari, & per Apostolica Privilegia mitigari; Unde originem habuerunt Conventuales, per quod nomen, ait, distinguebantur ab aliis, qui Reformationem affectabant (adeoque & existebant) concluditque in fine, quomodo Conventuales in Hispaniis fuerint extinti. Ecce quid à Roderico per *Conventuales* intelligatur inter Minoritas. Deinde per ipsum non Observantes à Conventualibus Originem habuerunt, licet

ab ipsis exiverint; Imò Conventuales per introducta Privilegia orti sunt inter Observatores Regulæ. Ubi unum adhuc obiter adnotare libet: Si Conventuales à S. Francisco fuerint immediatè ad Conventualitatem instituti, & ab Apostolica Sede approbati (prout Rationista putat se demonstare) Quomodo ergo à B. Pio V. in Constitutione per Rodericum loco jam citato allata, cogerentur, aut Observantium rigoribus se ultro submittere, aut ab antiquis, propriisque jam suis Cœnobiis abscedere? solvit argumentum, qui dicit Conventuales in Ordine Minorum *Antiquiores*, indeque à S. Francisco institutos; Observantes autem postmodum à Conventualibus, ut Filiales exortos; ubi proinde Patres coacti fuissent ad vitam Filiorum, præter patriam professionem, transire; quod à me non capitur.

Num. 32. Insuper, qui talia dicit, adverat ex eadēm Pii V. Constitutione, quæ incipit: *Beatus Christi Salvatoris Confessor. dat. Romæ 10. Calen. Februarii 1568.* hæc, quæ sequuntur de S. Francisco: *Undique Fratres suos in unam Familiam coëgit, collectosque ipsorum omnium vitam, & mores ad unam, eandemque Regulam dirigens &c.* Tandem circa Rodericum illum addiderim adhuc, quæ ibidem q. 4. art. 4. de Observantibus ex professo agens dicit: *Cum Religio Fratrum Minorum sit quadam divina plantatio, non potest ipsa Pontifícia Majestas pati,*

pati, ut ipse Conventualis Status contra Regulam, & vivendi normam Patris nostri Franciscū inductus, ita perseveraret, us in eo Sigillum totius Ordinis contineretur; & Generalis ipsius Conventualitatis Patrem nostrum Franciscum representaret, cuius ipse minimè fuit Institutor, & Author. Quid clarius de Conventualium Origine, non à S. Franciscō; sed contra, vel præter ejus institutionem [suo tempore tamen legitimè] superinducta potuit desiderari? Quos ergo Ministores S. Franciscus instituit? certè suæ Regulæ Observantes. Hæc ex Roderico non produxissem, nisi Roderici sensus haud integer à Franchino relatus, me obligasset ad inquirendum, & referendum ex integro, quid talis Author de præsenti Controversia sentiret. Sic posset etiam quis ex S. Scriptura, non quidem inferre, sed referre, quod non sit Deus, si tamen hæc integra referatur, tunc *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Ps. 13. De Laertio Cherabino viro doctissimo, qui Romanorum Pontificum Bullas in usum commodiorem collectas, Rubricis, sive Summariis exornando se orbi litterato commendavit, non admirari non possum, quomodo Bullas ipsas referendo, in quibus de **Conventualium** nomine non exstat indicium, ipse in Summariis, seu Rubricis Ordinem Minorum **Conventualium** adjungere de suo voluerit; unde credere debo, ipsum ex repetito sapienter errore fuisse deceptum; sicut &

non raro decipiuntur Authores extranei, qui incidenter quandoque de particulari Ordine scribunt, prout ipsis ab interessato Calamo existit communicatum. Ad talium autem Virorum Excellentiam non spectat, particularia cuiusque Ordinis jura funditus perscrutari.

Num. 33. Titulum Capitis VII. ponit Rationista sequentem : *Gradus Scholastici Bacalaureatus, & Magisterii, titulusque Regentis apud Conventuales à primis duobus sculis Franciscanis usque in praesens conservati, ab Observantibus vero rejecti demonstrant, eadem duo prima Sacula non fuisse Observantina, sed Conventualia.* Ad quæ repono rimo, duo illa prima sæcula, nec nominatim fuisse *Observantina*, multò minus *Conventualia*; sed, quia Ordo tunc indivisus erat (licet secundum rem Observantes, & Conventionalizantes, hoc est ad laxiora declinantes, contineret) sæcula ista simpliciter *Minoritana* esse, non *Conventualia*. Permitti posset, quod *Observantina* dicerentur, quia nulla adhuc (ut postea ostendemus) apparuit Pontificia relaxatio. 2dō De Theologico Magisterio, sive Doctoratu, atque etiam (quod alibi exaggerat) de S. Inquisitionis Officio, non ibo inficias, quod fuerint antiquitùs in Ordine non Conventionalium, sed *Minorum*; ast talia fuisse Ordinis Institutioni cœva, nemo est, qui asserat. Illa fuisse à S. Bonaventura, & ab aliis Sanctissimis Viris exercita, non dubitaverim; etiam à San-

Sanctis Joanne de Capistrano, Jacobo de Marchia, aliisque de Observantia, mandante Sede Apostolica, fuisse Officium Inquisitionis exercitum legimus; Unde inter Statuta Capituli Burgensis Observantini anno 1523. sub Quignonio Generali decretum reperimus, ne Magistri S. Theologiae crearentur, aut Doctoratus Laurea deinceps conferretur, nisi in Studiis Generalibus; deinde paulatim abierunt in non usum: uti enim haec in Ordinis Institutione non fuerunt intenta; ita nec inter Observantes Generaliter recepta, inter illos remanserunt, qui ad Privilegia viventes majori facilitate sine speciali dispensatione ea possent exercere; Unde Observantes verius dicuntur illa dimissi, quam nunquam habuisse. Quid ergo a talibus consequentiae ad antiquioritatem Conventualium?

Num. 34. A superioritate etiam, Jurisdictione, ac precedentia, quam Communitas Ordinis non negatur habuisse aliquando super Familiam separatam *Observantium sub Vicariis*, argui non potest Observantium a Conventualibus dependentia, vel inferioritas. Cautè loquatur, qui haec allegare prætendit: si enim Conventualibus Observantes fuisse aliquando subjectos quis diceret; illico negaretur assumpturn; suppresso itaque *Conventualium* nomine, *Communitas Ordinis* plerumque nominatur, & dicitur, Communitati Ordinis fuisse aliquan-

do subjectos Regularis Observantiæ Professores; & deinde ab Ordinis Communitate ad Conventuales, bellâ æquivocatione, deducitur argumentum. Concedo itaque, Observantes *de Familia* à suæ separationis exordio ultrò Prælatis *de Communitate* Obedientiam præstissime, tum, quia ipsi tunc pauci erant, tum, quia illa Communitas nullo adhuc dispensativo super Regulam Privilegio relaxata, non dici non poterat vera S. Francisci Religio. Ubi verò Communitas Ordinis à Martino V. Privilegia Regulæ mitigativa obtinuit, dupliciter iterum considerari debet: imò quatenus pro maiori suâ parte dispensationibus adhærebat; quo sensu, ad effugiendum relaxationis periculum, ab ipso voluerunt Observantes *de Familia* secundum quid separari, & sub propriis Generibus, & Provincialibus Vicariis autoritate Apostolicâ constitui. 2dò Consideratur ipsa Communitas Ordinis, quatenus non universa Privilegiis dispensativis inhærebat; imò & integras *Clarenorum*, *Colestanorum*, *Amadorum* &c. Congregationes in Regulæ puritate viventes, continebat; Unde & Ministrum Generalem totius Ordinis cum omnimoda præminentia conservabat. Hoc sensu nunquam detractarunt Observantes Ministrum Generalem totius Ordinis de illa pro parte relaxata, & pro parte non relaxata Communitate assump-  
tum, cum determinata dependentia recognoscere.

scere. Ast ! Conventualibus ut talibus ipsoſ. aliquando ſubiectos extitile , nec , qui illa intendit dicere, de plano audet afferere . Sub Leone X. autem non Observantes fuerunt ſubtracti obedientiæ Ministri Communitatis Ordinis, imo in ea fuerunt expressius confirmati, dum Ordinis Communitas in Observantibus simul unitis fuit declarata , & ſtabilita , & Miſter Generalis Ordinis de iþis, & ab iþis electus, & deinceps perpetuo jure eligendus. Conven- tuales autem fuerunt ex tunc ab Ordinis Com- munitate diſjuncti , & in unum Corpus Pri- legiarum , non amplius ſub Ministro , ſecun- dum Regulæ textum, ſed ſub Magistro Generali collocati ; cum hac tamen dependentia , ut hic ab illo ſemper teneretur ſuæ electionis confir- matiōnem petere , ut retulimus cap. 7mo.

Num. 35. Objicit Rationista Cap. 3. quod Ordo Conventualium fuerit in Ecclesia appro- batus per Innocentium III. & Honorium III. ante Ordinem Observantium , utpote qui ſuam prius tulit approbationem in Concilio Constan- tiensi , & perfectius ſtabilitus fuit per Leo- nem X. & querendo : an ad instantiam S. Fran- cisci approbatus fuerit Ordo , qui per emitten- dam Professionem ſuam obligaretur ad totam ejus Regulam servandam , vel ſolum ad par- tem ? Vel denique , an tunc temporis appro- batii fuerint duo Ordines , quorum unus obli- garetur ad Regulam , prout ſonat , & jacet;

alter verò ad eandem Regulam dispensatam? Sanè de duobus Ordinibus non constat, cùm & ipsa Regula sæpè faciat mentionem de unitate illius fundatæ *Fraternitatis*, & quòd unus similiiter debeat esse Minister, qui sit *servus totius Fraternitatis &c.* Neque alterum dici potest, scilicet, quòd ab initio aliqui ex Professoribus illius Régulæ fuissent obligati ad totum, aliqui ad partem, sive, quòd aliqui tenerentur observare Regulam, ut jacet, alii, ut dispensatam: ne aliás diceretur, quòd ipse S. Patriarcha sub duplice emittendæ professionis formula pro aliquibus suam Regulam mitigasset, aut à summo Pontifice mitigationem petivisset; quod est contra historiam, quæ refert repulsam F. Eliæ de Cortona pro mitigatione instantis, quæ voce de Cælo confirmata fuit, ut retulimus suprà, N. 22.

Num. 36. Arguitur ulterius: Conventuales esse antiquiores Dispensationibus: nam sicut dispensatio supponit legem, ità & personas eam recipientes. R. Si Papa dispensaret, ut omnes Minores Observantes fierent Dominicani, tunc tamen ab ante non fuissent Dominicani, quamvis lex & personæ præsupponerentur: fuissent quidem Minores, sed tales eo ipso esse desinerent. Sic à pari dicerem, Ordinem à S. Francisco Fundatum essentialiter periisse, si omnes omnino Dispensationem in substantialibus admisissent, pro quo Passerinus

de hominum statibus Tom. 3. N. 18. inquit: Dispensatio perpetua, & universalis in substantia, ut in materia Votorum, & ita, quod professionis materia sit substantialiter mutata, facit, ut Religiones substantialiter varientur... Ideò si Pontifex dispensando mutat substantialiter Religionem, taliter forma intrinseca Religionis, & Religio mutatur, vel numero, vel specie, vel plus, quam specie... Si ergo Pontifex mutet substantialiter materiam Votorum, vel augendo rotum, vel minuendo, mutatur tum etiam professio Religiosa substantialiter, nec Religiosi amplius antiquam Regulam profiterentur, ideo NOVA est Religio.

Num. 37. Fundatam autem per S. Franciscum Religionem, ejusque invariatam professionem modò semper continuârunt Zelatores Regule, qui tandem Observantes dicti sunt, quique adhuc, ne emoriantur, per introducas successivè Recollectorum, Discalceatorum, Alcantrinorum &c. Reformationes adacti sunt ad fervorem, qui, si quandoque in aliquibus, imò in pluribus tepescat, cogitemus, nihil esse sub Cœlo stabile, quia nihil est à se, nisi ille, qui veraciter de se ait: *Ego sum, qui sum;* & de cuius usque adeò fundata in terris Ecclesia S. Augustinus Epist. 48. inquit: *Ipsa est, qua aliquando obscuratur, & obnubilatur multitudo scandalorum.* Sed etiam tunc in firmissimis suis eminet. Et fortasse non frustrà dictum est de

semine Abrahe Gen. 22. sicut stellæ Cali, & sicut arenæ maris: ut in stellis Cali pauciores, firmiores, clarioresque intelligentur; in arena autem Maritimæ Litoris, magna multitudo infirmorum, & carnalium. Fortè etiam converit aliud, quod idem Augustinus Lib. I. contra Permenianum Cap. 5. ait: si non potestis auferre malos de medio vestram, ipsi malum auferete ex vobis ipsis. Atque idem Lib. de moribus Ecclesie Cap. 30. Ecclesiam alloquens dicit: Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quietè senes, prout cajusque non corporis tantum, sed & animi etas est, exerces, atque doces.

Num. 38. Accedit pro dilucidatione superioris objecti; Quod, testantibus Ordinis Monumentis, status non Observantium, seu vetus Conventionalismus duobus primis saeculis Franciscanis fuerit illicitus, & purus à Regula deficiendum abusus, cajus nullus in Ordine cum gloria praetendit, se fuisse Authorem, & qui solùm expost per Martinum V. factus est licitus, & religiosus, dum in Bulla, quæ incipit: *Ad statum Ordinis primò, & primus dispensavit pro habendi Redditibus;* ergo, sicut prius non erant dispensati, sic nec Conventuales in Ordine. In illa etiam Bulla nulla sit mentio Conventionalium; unde hæc tales non presupponeret, sed faciebat anno 1430. Et quidem ante illud Breve Martinianum nulli in Ordine erant, vel dici poterant Conventuales, vel dispensati; quia nec in ipso

Brevi

Brevi ulla sit mentio de præcedente aliqua dispensatione, simpliciterque Fratres Ordinis dicuntur *Fratres Minores*; atque ante illum annum omnes Franciscani erant ad puram pure Regulæ Observantiam obligati; nec dispensatio aliqua erat generaliter data pro possessione reddituum, aut successione in hæreditates; nec introducta adhuc; sed jam prius, pro admittentibus respectivè talem Bullam, & non admittentibus, introducenda nominum diversitas; postquam ab anno circiter 1348. particulates contra regularem paupertatem abusus in Conventus, & Provincias irreperere cœperant. An jam Observantes, seu regularem Observantiam zelantes, fecerint istam novitatem, quilibet esto judex. Et dum ex tunc summi Pontifices incepérunt, Fratres zelantes in suis Bullis distinguerem per additionem: *Regularis Observantia*, hoc non significabat novitatem, vel alterationem Instituti, sed potius denotabat Fratres in primæva Observantia Minoritica constantes; ubi econtra Minoribus aliis additum ex tunc nomen *Conventualium* indigitabat Fratres secundum accessoria privilegia dispensativa viventes, ac *Vetus Institutum* alterantes.

Num. 39. Contra hæc dicta objicit Rationista, Clementem IV. modò in primo Ordinis saeculo dispensasse cum Ordine Minorum, quo ad successionem in hæreditates, ac si in saeculo remansissent; quam proinde successionem fecit in ordine licitam per Bullam, quæ incipit: Ob-

tentus

gentia Divini nominis, inscriptam Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, & Ministro Generali Ord. FF. Minorum. Ast! quia quæstio hæc in Materia Minoritica de principalioribus est, antequam ad eam respondeo, nonnulla prænotanda hic juvat interjicere. Supposita nominis intelligentiâ, nempe, quod per *Fratres Minores Conventuales* apud sedem Apostolicam, epud sacras Cardinalium Congregationes, apud Reges, & populos illi intelligantur, qui Regulam Minorum non ad Litteræ rigorem, ut instituta fuit; sed ad dispensativa sedis Apostolicæ privilegia profiterentur; extra dubium remanet, ipsos tunc in Ordine vigere incepisse, quando privilegia illa firmiter, & legitimè fuerunt introducta. Voluntarias itaque, ac usurpatas, ut omittam relaxations, quæ in exemplum adduci non debent (*qua enim illegitimè sunt, pro non factis haberi debent.* Lib. 5. Decret. Tit. 1.) ad primam, & legitimam Regulæ dispensationem recurramus.

Num. 40. Non ignoramus, Innocentium IV., cùm Controversiis Elianos inter, & spirituales sanctâ intentione finem imponere cuperet, edidisse super Regulam Minorum Apostolicam declarationem, quæ incipit: *Ordinem vestrum &c.* ad annum 1246. per quam in facto recurrendi ad amicos spirituales pro pecunia, in Fratrum necessitates expendenda, non nihil largius induluisse comprobatur. At de recipienda per Fra-

Fratres ipos pecunia , vel de possessionibus , aut aliis proprietatibus in Ordine retinendis , nec verbum habet , aut apparentiam ; & tamen , quia aliqualiter relaxativa videbatur Innocentina illa declaratio , eam primum in Metensi , deinde in Narbonensi Gen. Capitulo Religio integra cum S. Bonaventura tunc Generali Ministro , annente Alexandro IV. , voluit antiquari , prohibitusque fuit , istam ad praxim deduci . Nunc quantum ad praetensam aliam Clementis IV. que hic objicitur , dispensativa provisio nem,

Respondeo imprimis , Bullam illam , quatenus ad Fratres Minoras extensam in Firmamentis trium Ordinum , Authore de Ordinis Communitate , nominaliter vocari *subreptionem* , dum part. 4. Col. 2. fol. 132. sic habetur : *Alia autem Bulla subreptione , relaxatoria , & excessive , que merito velut falsa , & nulla repudiantur per Ss. Patrum Canones , & juris Doctores. . . sunt ista sequentes , & similes; videlicet Bulla Clementis IV. , que incipit : Obtenu Di- vini nominis &c.*

Num. 41. Deinde præter alias omnino violentas præsumptiones , quas adducam , pro subreptione istius Bullæ , stat etiam hæc , quod Bulla illa in solo titulo nominet *Fratres Minoras* , & in contextu nullam de iis faciat mentionem , quam tamen de necessitate facere debuisset ; si enim vetum sit ( ut postea examinabimus ) quod

## 310 Caput X. An Observantes

Rationista ab solutè prætendit, Patres scilicet Conventuales usque ad Concilium Tridentinum nihil propriam, etiam in communi, possedisse, quantum ad proprietatem, & dominium; sed agros, vineas, ac annuos redditus sub Dominio Sedis Apostolice semper fuisse, illosque ad solum usum facti permisso fuisse, sicutque paupertatem Minoriticam, non quidem quoad gradum perfectionis, quoad substantiam tamen salvam, & integrum servasse; tunc inquam Pontifex necessitatus fuisse in sua Bulla distinguere, Dominicanos inter, & Minores; nec non declarare, quod, quantum ad Fratres Minores, successiones hujusmodi hereditariæ nomine Sanctæ Sedis essent facienda, quod respectu Sacri Prædicatorum Ordinis non erat necesse; cum hic Ordo ex professione Regulæ suæ substitutis Apostolicis tunc non indigeret. Imò seclusa tali distinctione, quæ etiam in Bulla non reperitur, evidenter sequitur, quod Franciscanis non minus, quam Dominicanis hereditariæ successiones concessæ fuissent, quoad proprietatem, & dominium, quod nec ipsa pars adversa admittit.

Num. 42. Tandem Bullæ inscriptionem, seu titulum illius fuisse corruptum, & (si non fraude, saltèm alio errore) per additionem FF. Minorum alteratum, constat ex eo, quod Originale illius Bullæ in Archivio Vaticano affermatum, solos in titulo illius Bullæ præseferat Fratres Prædicatores,

Sicne

sine mentione Fratrum Minorum, ut vides in adjecta hic Copia authentica:

„ Copia Bullæ S. Memoriæ Clementis Papæ  
„ IV. extracta de Verbo ad verbum ex Regesto  
„ Authentico, in nulla suâ parte vitiato, suarum  
„ Litterarum Apostolicarum anni primi suâ  
„ Pontificatus, signato Num. 204. existente in  
„ Archivio secreto Vaticano Fol. 33. tenoris se-  
„ quentis videlicet : *Magistro, & Fratribus*  
„ *Ordinis Prædicatorum salutem.* . . . Obtentus  
„ divini nominis &c. ( NB. hic refert totam Bullam  
sine mentione FF. Minorum, tam in titulo, quam  
in Corpore ; & deinde prosequitur ) „ Desumpta  
„ fuit hæc Copia Bullæ ex dicto Authentico Do-  
„ cumento benè asservato, in prædicto Archi-  
„ vio secreto Vaticano existente, & cum eodem  
„ collationata in omnibus concordat. Quare  
„ hic me in fidem subscripti, & solitum meum  
„ sigillum apponere feci, ut infra, hæc die 3.  
„ Julii 1727. Jacobus Antonius Prior de Pratis,  
„ prætati Archivii secreti Custodiæ Præfctus &c.  
„ loco + sigilli.

Num. 43. Replicat Rationista in Conventu  
Assisiensi FF. Minorum Conventualium econtra  
asservari, ac sœpè visum, & copiatum esse Ori-  
ginale, in quo Bulla illa simul inscribitur : *Ma-*  
*gistro Generali Ordinis FF. Prædicatorum, &*  
*Ministro Generali Ord. FF. Minorum*; Unde &  
Waddingus illam citat tanquam utrique Ordini  
datam. Respondeo : judicet alius, quam ego,  
quod-

quodnam ex illis Originalibus, majorem debeat habere fidem, in concursu, ubi unum necessarium debet esse, ac censeri falsificatum; sive interim ab una, sive ab altera parte ( urgente ad hoc amore proprio ) falsificatum sit. Fortè non incongruè adjecerim illud, quod Baronius Tom. 12. Edit. Antwerpensi ad annum 1191. L. E. ponit circa Diploma aliquod Ottonis III. similiter corruptum: Felices emnes forent impostores, si ex falso tantum superposito titulo, quod cuperent, probatum haberent; & non plura intercederent, quibus luce conspicuâ convincerentur falsarii. Ad citatum Waddingum dico, ipsum non nisi sub dubio loqui; unde & in eodem loco citat aliud Bullarium, in quo affirmat, se nihil de FF. Minoribus in titulo additum invenisse. Insuper ipsius Waddingi non erat, se ad longum super præfata Bullæ subsistentiam extendere, utpote qui tantum se Historicum, & collectorem Bullarum Apostolicarum ibidem profitetur; & quidem, ut dixi, illam non refert absolute.

Num. 44. Pro subreptione illius Bullæ insuper facit illud, quod, si per Bullam illam Ordo Minorum revera fuisset pro jure succedendi in hæreditates dispensatus, non appareat, cur in 2dum saeculum expost, nimirum in Concilio Constantiensi, dum Fratres de Communitate ( nomen Conventualium nondum erat ) à zelatoribus, qui ab illo Concilio Observantes dicti sunt, accusarentur, quod se institui hæredes non solum

solum sustinerent, sed & procurarent &c. prout Eugenius IV. in Bulla, quæ incipit: *Ut Sacra Ordinis*: refert querimonias; cur inquam in sua purgatione Bullam illam dispensativam non allegarunt? Cur factum, si fuerat ipsis licitum, constanter negarunt? prout legis in dicta Bulla, ubi Pontifex nomine Ordinis sic respondet: *Tamen Communitas Fratrum, & specialiter Rectores Ordinis asserebat, quod predicta, sive plura ex ipsis in Ordine non fiebant; quod, eis reperiantur rei in talibus, rigide puniuntur: nec non contra talia, ne fiant, sunt fastigia pluries ab antiquo statuta in Ordine multum stricta &c.* Ecce quomodo Ordo Minorum, ejusque Rectores, se per Bullam, *Obtenuit Divini Nominis*. Nesciebant esse dispensatos.

Num. 45. Insuper subreptio istius Bullæ se prodit inde, quod data fuerit *ad instantiam*, utique Ministri Generalis; talis autem tunc fuit S. Bonaventura omnium relaxationum hostis implacabilis, & pro tuenda, vel restituenda integra Regulæ Observantia Zelator indefessus; qui consequenter hanc omnium in Franciscana paupertate dispensationum maximam & recepisse, & supplicasse supponeretur. Mihi profectò non sufficit Waddingi restrictio, quod nempe Sixtus IV. post duo abinde saecula declaraverit, illam concessionem ad Observantes non extendi; quia tempore hujus pretensiæ Concessionis, unicum erat Corpus Ordinis

Minoritici in Regulæ Observantia Sancte perseverans; unde non poterat ad alios extendi, & aliis interdici. Nec etiam, si fuisset jam tum Ordo bimembris, poterat ad duo Sæcula retrotrahi Sixtina illa Declaratio. Imò, quod magis facit ad propositum: Cùm Sextus ipse per suas Litteras (de concessione illa veluti jam tum per Clementem IV. data nullum habens verbum) Privilegium illud nudè, & tanquam primò Minoribus Conventualibus indulserit, ut nempe in Parentum hæreditates succedere valeant ab intestato; paulò post edito novo Diplomate declaravit illam suam (de Clementina illa prætensa iterum nullibi faciens mentionem) Concessionem *ad importunam aliquorum instantiam* expeditam fuisse, atque ad Observantes non extendi; Unde pateat, locum non habere restrictionem Waddingi, quatenus sumus in illa Clementina.

Num. 46. Suppono iterum, hoc præsum Clementis IV. Privilegiorum omnino esse amplissimum inter Cætera, per quæ paupertas Minoritica dispensata fuisse legatur, non absimile illi, quod PP. Conventuales fatentur se poste à per Tridentinum priùs accepisse: Cùm enim proprietas in particulari nullibi dispensata dicatur; de proprietate in communi loquendo, hæc successio in hæreditates supponit in Minorita nunquam extingui Jus Civile ad possidendum; supponit & ipsam possessionem in

in Communi, & cætera, quæcunque valeant rationem dispensationis inducere. Quomodo ergo credibile fieri potest, ut S. Bonaventura, Zeli prorsus incomparabilis, pro illa supplicaverit, de quo Jure merito dicit *Franchinus Convent.*, quod fuerit post S. Franciscum Sanctior universis, qui Religioni præfuerunt; qui totis lacertis pro integra, & purissima Regulæ Observantia, pro eliminandis vel minimis abusibus in toto Generalatu laboravit; & Declarationem Innocentii IV. quæ longè minas dispensativa erat, tum ex Generalis Capituli Decreto, tum auctoritate Papæ voluit antiquari; qui contra legatorum, & testamento rum aviditates statuta rigorosissima sçpè repetita publicavit ante, & post assertam Clementis IV. concessionem, ipsorumque executionem gravi rigore semper exegit, ut diffusè videre est in Encyclidis ejus Epistolis ad Ordinis Prælatos: *Licet insufficientiam meam &c.* dat. Parisiis 9. Calend. Maji 1257. & alia, quæ incipit: *Quoniam ad hoc potissimum &c.* dat. Parisiis in die S. Georgii Martyris anno 1266. id est altero post datum assertæ *Clementinae*. vide Dialogum part. I. N. 57. ubi illas Litteras adduximus. Quomodo inquam Sanctus iste Paternæ S. Francisci intentionis, & Regulæ Zelator acerrimus, veluti oblitus suî, contra Seraphici Patriarchæ mentem (ad quam certè totâ diligentia se se componere satagebat) in excidium paupertatis

## 316 Caput X. An Observantes

Franciscanæ , Privilegium adeò suprà Cætera fini suo præjudiciale acceptaverit, imò, ut ibidem dicitur, pro eo supplicaverit?

Num. 47. Deinde, ut diximus suprà, Sixtus IV. anno 1472. duobus nempe, & amplius post hæc sæculis, *importunis* aliquorum instantiis adactus (ut ipse ait) hoc ipsum nunc assertum Privilegium, in hæreditatibus suorum ab intestato succedendi, concessit, expedito Diplomate : *Dam fructus uberes. &c.* pridie Calendas Martii; quod postmodum datis aliis Litteris: *Lucet jam dudum ad importunam &c.* dat. die 7. Augusti declaravit, ad Observantinos non extendi; quomodo, ut disputationis novæ titulum effugeret, fieretque indulgentia firmior, & ab antiquitate Venerabilior (eo vel maximè, quod *ad importunam aliquorum instantiam* hæc à se concessa fuisse dicit) quomodo inquam dispensationis hujus Clementinæ potuit non reminisci, si verè extitisset? Quomodo etiam Monimenta Ordinis hujus amplissimi Privilegii nullibi faciunt mentionem? Imò in contrarium Roderiquetz, Jurium Regularium, & maximè pro sua Religione Minoritica soler-  
tissimus Indagator, Tom. 3. qq. Regular. q. 30.  
art. 4. Privilegium ipsum referens ex Sexto IV., aliasque simul dispensationes adducens, hoc solum Clementis IV. penitus ignoravit. Et ibidem q. 68. art. 10. docet cum communi, ma-  
xime cum Bartolo, non subsistere testamentum,

ubi

ubi Minorita fuerit Hæres institutus. Et Bartolum in utroque Jure versatissimum, & in Minoritico peritissimum, hæc, si fuissent, ignorasse quis præsumat? Ne hic in sententiis adducendis fusior sim, vide Bartolum in Tract. Minorum Lib. 4. Dist. 1. Cap. 1. Baldum in primo Codic. Authent. Verb. *ingressi*. de *Sacro-Sanctis Ecclesiis*. Col. 6. N. 15. Albericum de Rose super Caput: *De ingredientibus*. Federicum Pietrucci de Senis in Lib. Consil. pag. 20. Col. 4. ubi pulcherrimas Casuum resolutiones legis circa Successiones hæreditarias, quarum Minoræ incapaces asseruntur; neque hi Monarchæ fundant se in Juribus Observantes præcisè respicientibus; sed à Corpore Juris Glossatas adducunt Decretales Clementis V. *Exst.* Et alias; Unde etiam vide Authorem *Glossæ* in Lib. 5. Clement. Tit. 11. de Verb. signif. Cap. 1. Nec reflectere omittas, quo tempore floruerint Viri citati, scilicet Bartolus 1330. Albericus Rose Juxta Bellarminum 1340. Baldus Ubaldus Perusinus 1365. & Juxta Bellarmin, Mortuus 1420. qui proinde Dispensativam illam Clementis IV. debuissent habere quasi in recenti memoria; & equidem ignorarunt.

Num. 48. Sanius igitur hac in re se habuisse prælausatus Rodericus mihi videatur, qui (ut & Waddingus ex ipso notavit) assertam in hac Clementis IV. concessionem in suo *Bullario* describens, ipsam solis Dominicaniis (omissa additione: *Et Ministri Generali*

*Ordinis Minoram*) notat inscriptam; huic ego libentiū ex motivis præallegatis assentior, eō vel maximè, quòd, sicut Sacra Prædicatorum Religio illud Privilegium nunquam dissimulavit; ità in Ordine Minorum nullibi appetet nominatum, in controversiis præsertim, & Bullis suprà allegatis, in quibus vel maximè valuerit ad propositum: Et Paulus III. in Bulla: *Exhibita &c.* 27. Octobr. anno 1540. ad instantiam Conventualium hoc Privilegium ipsis confirmans, dicit, ipsum à Sixto IV. fuisse concessum per Bullam: *Universalis Ecclesie*, nullamque facit mentionem de quæstionata Clementinā: *Obtentu divini Nominis*, licet ibidem adhuc plures Sixtinā illā posteriores nominati adducat. Tandem omnia hæc totā patent evidentiā, ex eo, quòd Clemens V. auditis in Concilio Viennensi anno 1311. Fratrum Spiritualium contra Ordinis Communitatem, ut de Regula prævaricata, querelis, & Communitatis ipsius ex alterā parte defensionibus, publicè pronuntiaverit: Ordinem universum, & adhuc eo tempore indivisum in vera, & integra Regulæ puritate per omnia perseverare; ad cuius majorem expressionem, atque confirmationem publicavit rigorosam illam suam Clementinam: *Exivi de Paradiſo &c.* in Corpore Juris insertam, quam universus Ordo nulla cum difficultate recepit, séque incapacem ad hæreditarias successiones agnoverit, abs-

que

que eo, quod prætensum Clementis IV. Privilegium, vel ab Ordine allegaretur, vel à Pontifice revocaretur; idque ideo, quia illius pro Ordine Minorum existentia ignorabatur.

Num. 49. Gerardii Oddonis Ministri Generalis pessimos conatus omitto, qui & in gradu inferiori, & in Ordinis Generalatu, pro Regula relaxanda, omni quidem industriâ, sed frustrâ laboravit, & tandem Benedictinas, ut vocant Constitutiones aliquantulum relaxativas impetravit; at citius ab Ordine universo, etiam Authoritate Pontificiâ rejectas. Quod autem rem totam concludit, habes in hoc: Alexander V. ex Ordine Minorum assumptus, ideoque in Regula, & Statu Ordinis optimè versatus, non pro Ordine, aut Provincia, sed pro particuliari Conventu Camberensi in Sabaudia rogatus, ut in accipiendo Fidelium Eleemosynis, & legatis aliqualiter dispensare dignaretur; edito Diplomate: *Sacra Religionis &c.* dat. Parisiis 11. Calend. Jan. 1409. concessit quidem, ut Conventus ille Eleemosynas, & Legata recipere posset à Benefactoribus, dummodò essent bona mobilia, & in hoc declaravit se dispensasse in rigidioribus Nicolai III. & Clementis V. Decretalibus. Ubi tria deducenda veniunt ex hac Bulla, quam aliqui perperam ad probandam antiquorem in Regula dispensationem adducunt. Primum est: quod Ordo universus anno 1409. ad Regulæ rigorem juxta

puriores suprà expressas Decretales se senserit obligatum, dum Conventus ille Apostolicam hanc petiit dispensationem. 2dum Est: quàm tenaciter Ordo ipse narratis rigoribus tunc adhæserit, dum Pontifex ex Ordine assumptus dispensationem suam expressè declaravit, non extendi ad recipiendum immobilia. 3tium Est, quòd, si tunc fuissent, uti reverà erant, abusus in contrarium, corruptelæ potius fuerint aliquorum, & non consuetudines toleratae, seu dispensationes; dum Pontifex in hisce Versatissimus, tanta cum reservatione, solum ad colligendas, aut recipiendas pro necessitatibus indifferentibus (quod alias illicitum est) Eleemosynas, expressè voluit, in Expositionibus Nicolai III., & Clementis V. esse dispensatum pro illo Conventu tantùm. Quæ omnia, saltèm simul sumpta, puto sufficere ad hoc, ut quæstionata illa Dispensativa Clementis IV. Obcentu divini Nominis &c. credatur ad Fratres Minores non fuisse extensa; præferatürque Originale Vaticanum illi ex Sacro Conventu Assisiensi desumpto, de quibus suprà Num. 42. quidquid adhuc alterius argumenti, in contrarium adferatur, quod certò ipsam fidem Fidei non evacuabit. Nunc ad alia.

Num. 50. Arguit Rationista dicens: „ Sicut „ SS. Patres, & Theologi Jesum Nazarenum „ Verum Messiam esse ex eo demonstrant, quòd, „ quidquid lex, & Prophetæ de Messia præ- „ , dixe-

„ dixerunt , totum in Iesu Nazareno verificatum sit ; ita pariter , si relaxatio de primævo Ordine prædictæ , in solis Conventualibus deprehendatur , ergo soli isti sunt primogenitus Ordo . „ Hæc ponit Cap. 1. pag. 245. postquam abante Prophetias varias adduxerat , atque in solis Conventualibus Verificatas voluerat . Antequam autem Prophetias in particuliari producamus , posuerim hic , quod ait Waddingus ad annum 1214. Num. 18. Obscura sunt ut plurimum Prophetia , nec semper in Cortice sensus ; Claudi , signataque sunt sermones Prophetarum ... optimè Irenaus Lib. 1. advers. Heres. dicit , Prophetias , antequam compleantur , esse anigmata , quia profectò ad eò obscura sunt , ut nec cœdipus eas explicet , & varias interpretationes admirant . Primo itaque adducitur illa S. Francisci , scilicet : Fratres mei erunt primo poma dulcia , & postea insipida , & postea acerba , & ultimè ad pristinam dulcedinem revertentur . Et addit Rationista , quod Vaticinium hoc , quoad tria prima jam fuerit impletum tempore Lyranii dicentis : tria augsburgi prima videntur esse impleta ; utique in Conventualibus ; quia , si omnes Sancti , & viri illustres duorum primorum sæculorum , juxta Generalem Rationistæ prætensionem , fuerint Conventuales , indubio etiam Lyranus taliis fuit , ut pote qui anno 1340. Parisis oblit centenarius .

Num. 51. Nescio , an Rationista ( ut possit concludere , Conventuales antiquam esse Reli-

§ 22 Cap. X. An Observantes

gionem Seraphicam ) satis benè illos accipiat pro pomis insipidis , & acerbis , qui juxta Prophe-tiam debebunt redire ad pristinam , debitāmque dulcedinem , dum interim insipida , & acerba non quadrant ad Mensam Nuptiarum Agni. Dis-cordat etiam Lyranus ab intento Rationistæ , quia dicit , tria prima suo tempore , scilicet ante an-num 1340. fuisse impleta , cùm tamen tunc tem-poris nec ulla dispensatio , nec nomen Conven-tualis appareret in Ordine , Unde Lyranus , ut videre est apud Firmamenta part. I. fol. 8. Et in psal-mum : *super flumina Babylonis* in alio pror-su sensu sumit hanc Prophetiaru dicens : „ Tria  
 „ autem prima videntur jam esse impleta ; nam  
 „ à Canonizatione S. Francisci per plures annos  
 „ Fratres fuerunt Prælatis , Principibus , Cleri-  
 „ cis , & Laicis gratiosi : postea verò gratio-sitas  
 „ haec fuit diminuta ; & postea tempore Boni-  
 „ facii VIII Videtur , quantum ad multos , in  
 „ contrarium versa , maximè quantum ad Cle-  
 „ rum , qui multipliciter in diversis partibus Or-  
 „ bis Fratres tanquam odibiles persequitur , &  
 „ afflitit , quod nos debemus non solùm huma-  
 „ næ malitiæ , sed nostris demeritis imputare.  
 „ Et quoniam , sicut dicit B. Gregorius Evang.  
 „ *Hemiliá I. præteritarum rerum exhibitio* , cer-  
 „ titudo est futurorum ; ideo ex tribus jam im-  
 „ pletis sperare debemus , quod quartum im-  
 „ plebitur Domino concedente. „ Hæc Ly-  
 tanus.

Num.

Num. 52. In quibus verbis hic Expositor per dulcedinem, & acerbitatem Religionis Seraphicæ non intelligit rigorem ejus, & laxitatem; sed gratiam, & disgratiā mundi, & præfatum Clericorum; prout adhuc clariū patet ex iis, quæ loco ultimo citato adducit, & quæ brevitatis causâ omitto. Dum autem addit, disgratiā illam debere imputari, nedum malitiis hominum, sed etiam demeritis Fratrum: ex hoc non eo ipso sequitur, introductam tunc fuisse laxitatem; Sed virtutis vult insinuare exercitium, pro quo multi etiam sacerdotes, piissimique homines, fatalia quæque sibi accidentia suis peccatis fructuosè adscribunt. In sensu econtra Rationistæ debebunt moderni PP. Conventuales (utpote in quibus solis, etiam post Leonem X. consistit Ordo à S. Francisco institutus) ad pri-  
stinam redire dulcedinem, id est ad rigorem paupertatis, etiam in communi, seu Minoriticæ; quod forte fiet, & verosimilius non fiet, cum ad tales redditum nullâ sint, vel apparente, necessitate adstricti; utpote sub mitiori jam professione suâ religiosè, sancteque incedentes coram Deo, & hominibus.

Num. 53. Quia autem interpretationem sermonum mihi non prætendo; protestor, quod pro Observantibus ex prædicta prophetia non velim inferre, nisi verisimilitudines cum primaria Christiana circa Messiam veritate nullatenus comparandas; sub quibus dici posset, Ordinem

Mino-

524 Cap. X. *An Observantes*

Miaorum tempore Leonis X. jam rediisse ad dulcedinem pristinam, dum sub ductu Sanctorum Bernardini Senensis, Joannis Capistrani, Jacobi de Marchia, & aliorum, excrescens Fratrum de Familia purissima Reformatio, cum aliis Ordinis Reformationibus in unum Corpus Observantinum unita, abdicato omni proprio in Communi, totus h<sup>c</sup> Ordo nihil amplius possedit, juxta prescriptum Regulæ. In quo facto (ut Veritas Veritatem osculetur) etiam insimul videatur verificatum illud, quod Dominus promisie S. Francisco dicens: *Quantisunque impulsibus concutata fuerit hac paupercula Religio, salva semper meo munere permanebit.* Apud Lyranum suprà. Atque cum hoc non obscurè concordat Leo X. dum in Bulla memorata Unionis. *Ite & vos in Vineam meam &c.* postquam sub allegoria vineæ, Reformationes sibi horâ 3tâ, 6tâ, & 9nâ, sub variis Ordinis vicissitudinibus, succedentes enumerans subjungit: „Hotâ verò nonâ, „ moriente Domino, surgentibus indies malis, „ & Scandalosis hujus Vineæ Agricollis, suscitat vit Dominus Sp̄ritum Adolescentis, paucorum videlicet Fratrum, qui signifero nominis „ Iesu B. Bernardino ductore, & Praefide, Sacri Concilii Constantiensis fretri præsidio, languentem, Imo penè mortuam Ordinem per Orbem universum vivificarunt (NB. novum non instituerunt) Novissime verò diebus istis, quia si horâ ultimâ, apparuerunt viri alii, qui „ Ze-

„ Zelantes pro domo Israël , succiderunt Lucos,  
„ & demoliti sunt delubra : ac , ubi abundabat  
„ peccatum , adjuvante Domino , curaverunt  
„ per introduitam reformationis formam , ut  
„ superabundaret & gratia &c. „ Hec Leo X.

Num. 54. Pro aliis , quæ ibidem adducuntur à S. Patre prædicta , prætendunturque in solis Conventualibus impleta , scilicet , quod Fratres essent assumpturi tunicas valde bonas , magnos exstructi Conventus &c. adducent impietas prophetiam , prout in suis circumstantiis refertur à Waddingo ad annum 1226. N. 6. „ At  
„ licet humilia veller vlt sanctus suorum ædificia ; nihilominus Principum , Benefactorumque beneficentia superabat Fratum vota , non  
„ secundum eam , quam hi profitebantur , &  
„ amabant paupertatem ; sed secundum suam  
„ platem , & magnificentiam splendida , &  
„ excelsa eis exstrentes Monasteria. Quod , cum  
„ F. Leo ab adventantibus Hospitibus , præcipue Ultra - Montanis , acciperet , scire cupiens  
„ quid S. Institutori de his videtur , ei retulit ,  
„ quæ audivit. Ad quem , Cæterosque circumstantes Fratres inquirunt : Ex nostris quidam me-  
„ dio multa , & magna adificant Cœnobia , & post  
„ hos venient alii Fratres nostri , qui magnas fa-  
„ cientes Domus , in quibus Nobiles seculares ho-  
„ norificè habitare poterunt . & tunicas fibi fa-  
„ cientes valde bonas ; sed sufficiat in tempore illo ,  
„ quod Fratres mei custodiens se à peccatis mor-  
“ talibus , „

Num.

Num. 55. Ex quibus patet 1<sup>mo</sup>, S. Patrem illa non omnino aversativè retulisse, nec ut suæ Regulæ destructiva considerásse, esto non essent exemplis ejus omnino heroicis ità conformia. 2<sup>do</sup>, Illud de tunicis valde bonis, intelligi potest respectu primorum sociorum S. Francisci, qui laceras ut plurimum, informes, & difformes portare solebant; sub tali autem respectu etiam Observantes bonas habent, & fortè hinc, & inde aliqui singularizantes *Valde bonas*. Et aliunde per tunicas *valde bonas* non videntur PP. Conventuales singulariter demonstrari, alias S. Pater addidisset de Camisiis linceis, calceis &c. Et cùm ibidem addatur: *hoc tempore sufficiet, si Fratres mei à peccatis mortalibus abstineant,* supponendo quasi transgressiones Veniales; eò minus designantur ibidem PP. Conventuales, utope, qui per suum habitum ne Venialiter quidem peccant, saltè per se loquendo. Nec magni Conventus absolute designant PP. Conventuales, cùm hi non magis, quam Observantes; imò & Recollecti, & Reformati parvos intermixtim, & magnos habeant Conventus. Conventus autem magnos, & altos (adductis stringentibus rationibus) Justificat S. Bonaventura in Determinationibus Qq. q. 6. modò non sint in ratione materiæ excedentes, & ad luxum magis, quam ad durationem, & necessariam commoditatem.

Num. 56. Eodem Cap. pag. 241. Rationista

jam

jam probaverat antiquoritatem Conventualium  
(seu quod hi soli revera essent, ac constituerent  
Ordinem a S. Francisco institutum) per Statuam,  
qua oranti S. Patri aliquando ostensa fuerat, illi  
Nabuchodonosoris simillima, Capite aureo, pe-  
store, & brachiis argenteis, Ventre aeneo, pe-  
dibusque testaceis; & vestita erat Sacco, in qua  
Religionem suam conspexit adumbratam. Ubi,  
ut totum habeamus, adduco Waddingum ad  
annum 1220. qui ibidem refert Statuam ita Fran-  
ciscum alloquenter: „Hoc autem totum veniet  
„illis, quia totaliter ab aureo Capite recesso-  
„runt. Beati autem erunt illi, qui in his peri-  
„culosis diebus ad pretiosa Capitis monita re-  
„vertentur: quia tanquam aurum in fornace  
„probabantur, & quasi holocausta medullata  
„Coronam accipient in aeternum. Saccus, de  
„quo sum induta, & de quo erubescere vi-  
„deor, est Sancta paupertas, quae, cum sit  
„totius Ordinis decor, & speculum, & Cu-  
„stodia angularis, & Corona, & fundamen-  
„tum omnimodae Sanctitatis; deficientibus ta-  
„men omnibus studiis Virtuosis, de ipsa, scili-  
„cet paupertate sanctissima, Filii degeneres eru-  
„bescerent, & abjectis vilibus indumentis, eli-  
„gent pretiosa, & Cappas varias anxie, & Simo-  
„niacè procurabant. Felices vero, & beati  
„erunt, qui usque in finem perseverabunt in  
„his, quae Domino promiserunt... S. Fran-  
„ciscus de his vehementer admirans, atque an-

„ xius oves suas , tanquam bonus Pastor , prae-  
 „ fentes , & futuras Domino cum multis la-  
 „ chrymis commendavit . „ Ita refert Wad-  
 dingus .

Num. 57. Sanè non credo , quòd Virtuo-  
 sissimi PP. Conventuales , pro trahenda ad se  
 antiquioritate Minoritica , hos velint Religio-  
 fissimo suo Instituto pedes testaceos , ac terreos  
 substituere : non enim talibus , sed Apostolicæ  
 Sedis pedibus , sat speciosis , incedunt , dum  
 pacem , & bona Evangelizant , populum ædi-  
 ficant , & vota sua , esto primævis dissimilia ,  
 equidem Cælesti quodammodo Petri authori-  
 tate mitigata Domino Deo reddunt : feliciores  
 futuri , quam Observantes , quotquot sunt  
 strictè voentes , & laxè viventes , paupertatem  
 Evangelicam in ore habentes , & naturalia illius  
 incommoda abhorrentes . In foliis quidem  
 viridianibus hi gloriabuntur ; sed dulcedinem  
 exinde in animo non sentientes , fructum Evan-  
 gelicæ Paupertatis è certius amittent , quo  
 secundum rei veritatem in Cultura ejusdem ,  
 ad exigentiam professionis suæ , non laborâ-  
 runt : pauperes solum Mathematici , & specu-  
 lativi . Quod tamen nullatenus Communitati ,  
 sed , quales fortè dantur , particularibus sit di-  
 catum , utinam non & mihi . Profetò R.R. PP.  
 Conventuales non sunt illi , qui ad sonum Pro-  
 phetæ illius in studiis Virtuosis deficiunt ; non  
 erubescunt etiam hi de paupertate , quam ad

pro-

professionem suam rigidè observant in particu-  
lari; ad felices quoque illos, ac beatos non mi-  
nus spectant, utpote qui usque ad finem inten-  
dunt perseverare in iis, quæ Domino promis-  
erunt. Multò minus sunt illi *Filii degeneres &c.*  
Unde verificetur potius præostenio Statuæ in  
illis (non Conventualibus, ut sape probavi)  
sed Minoribus, qui ante legitimas dispensatio-  
nes, ad similes substantiales defectus declina-  
bant, sub dissimillimo quodam Conventualis-  
mo intruso, & ante dispensationes sub antiqua,  
& originaria formula professionis usurpatæ; de  
quo apud Apologiam contra Rationes Histor.  
Tom. I. Lib. 2. Cap. 2. §. 6. Ferdinandus de  
Castiglio ait, quòd fuerit *Monstrum ex multis*  
*monstris compositum, mala herba, defructio be-*  
*norum Spirituum, & aperius Sanditatis ini-*  
*micus.*

Num. 58. Pag. 244. ex Pisano adducit Ra-  
tionista Prophetiam Cyrilli Anachoretæ Mon-  
tis Carmeli, & Glossatoris ejus nominatissimi  
Abbatis Joachimi, qui, cùm describerent,  
ubi, quando, à quo, & quā autoritate Ordo  
hic inchoandus, & à paupertate defecturus  
esset, dixerunt: *Terrenis provenib[us] totus hic*  
*Ordo pollebit.* Et pergit: Hæc vero Vaticinia  
non in Observantibus, sed in solis Conventua-  
libus verificata sunt, ergo &c. Respondeo:  
Esto ille textus mutilatus Sacro Ordini Conven-  
tualium conveniret; tamen, si Prophetia inte-

gra, & cum suo contextu sumatur, non sine exorbitante injuria Ordini prælaudato applicari valet; utpote, quæ apud Pisanum Conformat. pag. 16. ita sonat ex Cyrillo: *Hi pennis Montium, in aciebus, lumborum densitatibus... miserabiliter confundentur.* Super quem versum Abbas Joachim ita Glossatur: *Pennis Montium, id est altitudinibus dignitatum, in aciebus, id est mentis superbiam: iumborum, id est in luxuria: densitatibus &c. id est terrenis proventibus, quibus totus hic Ordo scriptus pollebit...* *Hi perfidi se simulabunt insigne pauperes, quasi viverent secundum formam Apostolicam egentes, & mentientur, se non possidere quidquam, nec in particulari, nec in communi.*

Num. 59. Hæc sanè convenire non possunt, nisi alicui multitudini superborum, luxuriorum, & avarorum, qui *miserabiliter confundentur* in propria sua malitia. Si proinde hæc Prophetia, ut verificata applicanda sit, adjiciatur potius Factioni cuidam Hypocitarum, qui in exterioribus finixerunt se Religiosos; in rei autem veritate inventi sunt malevoli, & hæretici; quales fuerunt *Pauperes Lugdunenses*, & nec non sequaces Petri Waldonis, propterea *Waldonenses* dicti; vel etiam applicetur pessimis *Fratricellis*, qui præsumebant se dicere Franciscanos, & à quibusdam male informatis pro talibus habiti sunt, quos Joannes XXII. exterminavit per Bullam: *Gloriosam Ecclesiam,*

pro-

protestans satis , illos Ordinis S. Francisci nunquam fuisse. Vel cui hoc non placet , dicat potius prædictionem hujusmodi nunquam verificatam , aut verificandam , saltē in in Ordine verè Religioso. Tanti reverā emenda non videtur apparentia antiquioritatis , multò minus talia attribuenda Ordini à S. Francisco instituto , qui ad revelationem ipsi factam , ad finem usque Mundi divinitas conservandus est pro resistentia Anti - Christi , cui tamen & alii adhuc Ordines perhibentur sese opposituri.

Num. 60. Ut autem scaturit , quid de id generis prædictionibus tenendum , docet D. Thomas in 4. dist. 43. quæst. 3. dicens : Similiter videtur esse de dictis *Abbatis Joachim* , qui per tales conjecturas de futuris aliqua vera predixit & in aliquibus deceptus fuit. Et Alphonsus de Castro Lib. 2. advers. Hæreles , verbo Apostoli inquit : *Hic Joachim ... multa scripsit* , in quibus , meo iudicio , suum leve ingenium ostendit , quoniam in omnibus ferè Libris suis , ut se futurorum præcium ostenderet , consuevit miscere prognostica , quod maximæ levitatis , & gloria cupiditatis indicium est , maximè cùm ait ut se in posterum res habuit , quam ipse prædictit. Et in Philippi Labbe Dissertatione in Joachimum Abbatem , quæ novæ Editioni Bellarmini *De Scriptor. Ecclesiasticis* in eundem Abbatem inserta est , legis sequentia : *Joachim Florensis Cœnobii Abbas , Ordinis Cisterciensis , florebat* ,

reste Trithemio adhuc anno 1200. & ut Prophetæ suo tempore habitus, etiam futura prædicere census est. Sed aberrasse idem Author afferit; ac præsertim, quod Fridericu[m] III. Imperatorem somniaverit hostem Ecclesiæ futurum; quem omnes nōrunt usque ad mortem pacificum, & Romano Pontifici fidelem perseverasse. Ne autem similia in præjudicium tanti Viri per me adducta videantur, adjecerim etiam, quid post alios Franciscus Pagius in Breviar. Romanor. Pontif. Tom. 3. sæcul. 13. in Concil. Lateran. 4. pag. 185. N. 94. pro ipso adducit dicens: *Quod attinet ad ejus (Abbatis Joachim) predictiones, eum varia Spiritu Prophetico pronuntiasse, qua postea evenere, certis exemplis demonstrant Manricus in Annalibus Cistercien. Tom. 1. & 2. & Papebrocius ad diem 29. Maji in Commentar. prævio ad vitam B. Joachimi §. 4. indeque coniugisse credunt, ut aliquas ficticias prorsus, atque inaneas predictiones quidam ei adscriperint, quarum nugacitas efficit, ut suspensi haserint Viri etiam sapientissimi, quo loco haberent Joachimum, vel quid de Spiritu ejus statuerent; qua de re Autores citati legendi.*

Num. 61. Paginâ 243. ponit Rationista, quod mitior Conventualium disciplina semetipsâ Primatui eorum Stabiliendo sufficiat: cùm enim, inquit, omnes Religiones in exordio suo perfectiores, paulatim declinent ad laxiora, sequitur: si non Conventuales, sed Observantes

tes præcessissent, hos potius, quam illos debere connaturaliter laxiores esse. Respondeo, Ordinem Minorum à S. Francisco in Observantia regulari fundatum utique, nedum ab austeritatibus heroicis; sed successivè etiam à substantialibus Regulæ præceptis pro parte, etiam suo tempore majori declinasse, ex quo Conventionalismus natus est, ante Martinum V. peccaminosus, ex post ob dispensationis intertum licitus, qui tandem per Leonem X. in particularem modernorum PP. Conventionalium Familiam erectus, & stabilitus fuit, uti alias diximus. Ast, quia non omnes hujusmodi dispensationes acceptarunt, & usque adeò integra Capitula Generalia eas rejecerunt; & præterim ante easdem non omnes post Vitulos aureos abierunt: sic Dominus Juxta promissum suum S. Fundatori factum, semper sibi in Ordine conservavit semen Originalis Observantiae; hinc Veteres primævique Observantes nunquam extinti fuerunt, sed in eodem Ordine cum laxioribus pro tempore permixti, pro tempore etiam, partim quoad modum regiminis, partim quoad modum duntaxat vivendi separati (propter quod etiam suis temporibus diversa nomina obtinuerunt) permanserunt, donec tandem per Leonem X. (postquam numerus eorum ita excreaverat, ut majorem Ordinis partem constituerent) ipsum Ordinem Minorum eatenus

sumeren secum, quatenus à legali S. Francisci successore eligendo, Conventuales fuerunt exclusi. Deinde, quod argumentum prætendit de connaturali omnium Religionum deficientia, conditionatè solùm conceditur, hoc est: nisi Viri Zelatores hinc atque inde insurgant, qui ad monistum Ezechielis Cap. 34. v. 4. per reformationis studium illud, quod infirmum, consolidant, quod ægrotum, sanant, quod confractum, alligant, quod abjectum, reducunt, & quod perierat, iterum querunt; Ne alias omnes Religiones dicamus à substantialibus suæ Regulæ defecisse, ipsamque PP. Conventionalium Sacram Familiam, à tempore Leonis X. seu etiam Concilii Tridentini, nescio ad quid, denuò decidisse, quod absit, cùm ad finem mitigatæ professionis suæ statuta Urbana habeat, & servet proportionatissima.

Num. 62. Incidenter hic quereres, an Pontifices bene fecerint dispensando in Regula Minorum? q. Privilgium Principis bene interpretandum, quando de iniustitia, vel subreptione non constat. Optimè Moyses permisit dare Libellum repudii; Optimè, sine dubio, Pontifices cum illis, qui nolabant Regulam S. Francisci integrè, seu ad litteram observare, dispensarunt, ut potius diminutam servarent, quād fierent transgressores; & ut, qui majoribus apertos se non judicarent, in Minotibus deserviront. Unde anno 1500. ante adhuc divisionem Leoninam

nam Alexander VI. in Capitulo Generali *Inter-*  
*annæ* servato, præsidente suo Commissario Apos-  
tolico, jussit edi Constitutiones propterea *Alex-*  
*andrinas* dictas, pro quibus facultatem dederat  
Capitulo Generali rigorem Regulæ non nihil mi-  
rigandi, ad quas proinde Observantes ( qui tunc  
in Communitate Ordinis florebant ) nolebat es-  
se adstrictos, saltè in iis, quæ ipsorum judi-  
cio à rigore recederent; Et hæ Constitutiones sub  
finem sic habent: „ Si qua tamen ex parte dis-  
„ pensatum, vel modificatum legatur, ex qua-  
„ dam indulgentia, piaque intentione nos fe-  
„ cisse intelligent, ut de duobus malis inevita-  
„ bilibus majus fugeremus. Unde declaramus,  
„ omnem talēm, si quæ est, modificationem  
„ duraturam esse dūntaxat ad tempus, donec  
„ aliud fuerit determinatum: maluimus enim  
„ paululum de re nostra præsumere, quām tan-  
„ tam Fratrum multitudinem damnationi expo-  
„ nere; Deum imitati, qui non vult mortem  
„ peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. „  
*Et subiungitur*: „ De Reformatione, qui se  
„ strictioris Observantiae vocitant, in alio Gene-  
„ rali tractabimus Capitulo. „ Ecce! quām  
cautè, quāmque adhuc timide, ac tenuiter re-  
laxationes Regulæ tractabat contradistincta à Fra-  
tribus de *Familia* Ordinis Communitas, septen-  
decim annis ante divisionem Leoninam. Hanc  
Communitatem, sèpè dicit, & repetit Ratio-  
nistæ esse Conventuales, unde & ubique Primi-

cerium Communitatis, Generalem Conventualium appellat. Ast, ubique æquivocationes sunt hæc tollendæ distinctione: Communitas inadæquate sumpta sunt Conventuales, concedo: adæquate sumpta, nego: quia sic præter Conventuales continebat Reformationes Clarenorum, Coletanorum, Amaliorum, de S. Evangelio &c. Qui omnes cum sic dicitis Conventualibus Capitulo præallegato inteterant; dum Observantes de Familia interesse nolebant. A solis item Conventualibus præfatae mitigationes Alexandrinæ admittebantur, alii supra nominati declarabantur ad illas non adstricti, sed alia decernebatur circa ipsos facienda dispositio in futuro Capitulo.

Num. 63. Prætendit item Rationista, successionem Ordinis Ministrorum Generalium S. Francisci Successorum, pro solis Conventualibus, etiam post Leonem X. non obstante, quod hic titulum *Ministri eis abstulerit*, ac *Magistrum* dederit Generalem, ab Observantino Generali Ministro confirmandum, atque hunc, ut totius Ordinis Generalem, reverentiâ respiciendum decrevit. Probat hoc pag. 399. à simili: si v. g. Ecclesia Papiensis erigeretur Pontificiâ Authoritate in Metropolitanam, & Mediolanensis econtra deprimeretur in Suffraganeam, in hoc casu Neo-Archi-Episcopus Papiensis non modicam quidem acquisivisset Jurisdictionem in Mediolanenses visitandos &c. tenereturque Episcopus Mediolanensis Papiensem veluti totius Provinciæ superiorem

rem venerari ; atramen S. Ambrofio , aliisque  
præcedentibus , & subsequentibus Archi-Episco-  
pis Mediolanensibus non succederet novus ille  
Archi-Episcopus Papiensis , sed soli Mediolanen-  
si , licet extunc solum Episcopo , talis successio  
competeret ; sic etiam à pari de depressione Leo-  
nina Conventualium , & creatione Observan-  
tium , in ordine ad successionem , est discurrentum .  
Ubi ego concessi per omnia antecedente , nego  
consequentiam , & paritatem , quam libenter  
concederem , si poteretur tantum in eo , quod ,  
sicut Episcopus in tali casu possit esse legitimus  
successor Prædecessorum Archi-Episcoporum ; ita  
& Magister Generalis valeat sub tali nomine le-  
gitimus dici successor *Ministrorum Genera-*  
*lium.*

Num. 64. Verum principalis dissparitas stat  
in eo , quod in simili supposito Archi-Episco-  
pus Mediolanensis fieret quidem tantum Episco-  
pus ; sed tameu maneret in eadem sua Ecclesia ,  
superque eosdem suos subditos , sique nihil  
amitteret præter titulum , quem Papiensis ipsi  
præriperet , & non subditos . Ast in nostro casu  
Primicerius Conventualium , nedum sub Leone  
X. amisi inscriptionem suorum Prædecessorum ,  
& titulum *Ministri Generalis totius Ordinis Mi-*  
*norum* ; sed & maiorem , & saniorem partem  
subditorum , sique amisi Ordinem , seu Ec-  
clesiam suorum Prædecessorum , qui omnes fue-  
runt *Generales Ministri totius Ordinis S. Fran-*

cisi, utpote qui Ordo ante Leonem X. complectebatur nedum Conventuales, sed & Observantes de Familia, Clarenos, Coletanos, Amadeos, & cæteros pùre juxta Regulam viventes, de quibus suprà. Si autem & in his vellet quis paritatem habere, supponere deberet, quòd Papa Capitulares Mediolanensis Ecclesiæ v.g. S. Petri, qui (ut paritatem ex integro habeamus) unà cum Papiensis Ecclesiæ S. Pauli Capitularibus Archi-Episcopum Mediolanensem eligere consueverant, tam activè, quàm passivè inhabilitaret ad electionem Archi-Episcopi Mediolanensis, & jus hujusmodi tam activum, quàm passivum solis pro futuro reservaret Capitularibus Papiensibus; ità, ut hi de Cætero ex suo gremio eligerent, non Archi-Episcopum Papiensem, sed Mediolanensem, qui taliter electus, nedum titulum, sed etiam Mediolanenses subditos ità post se traheret, ut Capitularibus Ecclesiæ S. Petri Mediolani tantum maneret modica respectivè pars priorum subditorum Mediolanensium, respectu quorum haberent per se, & ex se eligere superiorē, seu Præpositum, vel, si ità velis, etiam Episcopum, non Mediolanensem, sed v.g. suburbani appellandum. Et sic adaptata paritas quadrabit per omnia facto Leonino. Ast, tunc negatur assumptum, scilicet, exinde probari, successionem Ordinis Minorum, & superiorum ejus, solis PP. Conventualibus competere.

Num. 65. Pariter ex antiquioritate nominis

Conven-

**Conventualium**, & recentioritate illius **Observantium**, per Caput 4. Rationista format argumentum. Ast, fatis manifestaverim illius nullitatem, ostendendo, qualiter, nedum hic, sed quasi per totum Librum in ipso nomine **Conventualium** lateat æquivocatio, quæ Mater est deceptionum, & fallacie Organum. Perpendat proinde amicus Lector, adjectivum hoc **Conventuale** multa substantiva in vario, & multiplici sensu denominare. Dicitur namque Missa **Conventualis**, Ecclesia **Conventualis**, Capitulum **Conventuale**, Prior **Conventualis**, Monachus, seu Frater **Conventualis**, Frater Minor **Conventualis**, & hujusmodi, quæ recensere per singulam inutilis, quam ingratus labor evaderet. Affixi autem illius termini non æqualis est significatio, licet ab una, eadēmque Origine scaturiat. Primitivum hujus derivativi nominis **Conventualium**, **Conventus** est; is autem in Sacris Canonibus significat Collegium, seu Capitulum Religiosorum Arg. Cap. Cùm ad Monasterium &c. in Refertorio, de Statu Monachor. ubi dicitur; *Nec in quibusdam solemnitatibus, sicut aliquando fieri consuevit, Conventus exeat cum Abbatore, paucis ibi relictis. Et in Cap. Religionum §. Ad hac de Religios. Domib. in 6. in quo habetur: Nullus Ordo ad alium, nec Conventus ad Conventum se, ac loca sua totaliter transferat, Et in Cap. edoceri. de Rescript. in quo vocatur Conventus Monachorum, forte à legitimè conveniendo dictus;* sicut

sicut illegitimus *Conventus*, hoc est, absque licentia Prælatorum Congregatus, dicitur *Conventiculum* Cap. *Multis. Dist. 17.* Exstat etiam *Conventus Synodalis*, Congregatio nempe Clericorum in Synodo, ut tangitur in Cap. *Congregatio 16. q. 7.*

Num. 66. Habitâ explicatione primitivi, patet etiam significatum derivativi: à *Conventus* enim denominatur *Missa*, *Ecclesia*, *Capitulum*, *Prior*, *Monachus*, & *F. Conventualis*. Sicut autem teste Philosopho in Post-Prædicamentis *Habere* multis modis dicitur, ita & esse *Conven-tualem*, multis modis, & ad varios sensus referunt: aliquoties enim refertur ad loca, aliquoties ad actionem, aliquoties ad personam, modò singulis quadrare potest, modò multitudini congregatae. *Missa* namque *Conventualis* est actio Sacra, ad quam omnes de Colleglo convenire debent, ut Sancitur in Cap. *Cum Creatura. 2. de Celebrat. Mis-sar.* in quo Statuitur: pro festo, vel feria, secundum temporum congruentiam Missarum solemnia Conventualiter celebrentur. Ecclesia *Conventualis* dicitur, ubi adest Religiosorum Capitulum, Arg. *Gloss. in Cap. Monachi.* Sic statuente: *Priores in Ecclesiis Conventualibus*, per electionem Capitulorum suorum Canonice factam, non mutentur. Capitulum *Conventuale* est, ad quod convenient omnes ejusdem Religiose Congregationis in eodem Claustro manentes. Frater, seu *Monachus Conventualis* est, qui in Claustro, cuius dicitur

*Con-*

*Conventualis*, locum, seu Mansionem habet de Familia, eò, quia per Canones Monachus non habet locum in diversis Monasteriis, Cap. ne nimia. de Religios. Domib. Ex his patet, quām multipliciter accipiatur hoc nomen adjectivum *Conventualis*, & *Conventuale*, quām varia significet, licet à *Conventu*, ut eodem de nomine distivetur.

Num. 67. Videndum modò; an nomen *Conventualis Minoritæ*, prout est distinctivum contra *Observantes*, sic accipiatur, ut suam significationem, sīcque & antiquitatem sumat à *Conventu*, seu *Collegio*, vel *Capitulo*: Clatè autem patet, quòd non: quia distinctivum alius contra aliud, nequit simul convenire illi, contra quod distinguit; aliter enim non distingueret ab illo; Unde, quia rationale est distinctivum hominis à bruto, nequit bruto convenire, ut haber Communis ex Philosopho. Si ergo *Conventualis*, ut est distinctivum F. Minoris *Conventualis*, contra Fratrem Minorem *Observantem*, diceretur à *Conventu*, quo *Conventualis* habitat, omnino necesse foret, *Observantem* in *Conventu* non habitare; aliter ipse etiam Juc merito *Conventualis* diceretur, sīcque distinctivum rueret. Dicendum ergo, quòd in alio sensu ab enartatis, Missâ, Ecclesiâ, Capitulo, Priore, & Monacho *Conventualibus* accipiatur F. Minor *Conventualis*, ad cujus favorem antiquitatis Rationista, & alii producunt

Bullam

Bullam Innocentii IV. quæ tamen non Fratres, sed Ecclesiæ (NB. ubi Conventus existunt) nominavit *Conventuales*, profectò non, ut aliud nomen Fratribus Minoribus, vix natis daret; sed, ut à vexa Parochorum eximeret eorum Ecclesiæ, in quibus hi nolabant affervari Eucharistiam, pulsari Campanas, Cadavera sepeliri &c. Quæ ne gratis dicta videantur:

Num. 68. Sequitur hic ipsa Bulla Innocentii IV. „ Cùm tanquam veri, & fideles Christi  
 „ Ministri elegeritis vobis in domo Domini man-  
 „ siones, dignum esse credimus, ut habitacula  
 „ vestra inter alias honorabiles Congregationes  
 „ Fidelium statuamus: hinc est, quod vestris  
 „ supplicationibus inclinati, præsentium au-  
 „ thoritate decernimus, ut Ecclesiæ vestræ om-  
 „ nes, ubi Conventus existunt, Conventuales  
 „ vocentur; Concedentes vobis licentiam, ut  
 „ in ipsis Ecclesiis, ad opus Fratrum vestrorum,  
 „ habere liberè Cœmeteria valeatis. „ Quotquot  
 „ jam Authores in *Rationibus Histor.* Cap. 4. relati,  
 „ scripserint, ab hoc tempore, atque ex concessio-  
 „ ne Innocentii IV. nomen *Conventualium Minor-.*  
 „ bus accessisse, ab omnibus profectò intelligendī  
 „ veniunt, sub modis jam explicatis, quatenus  
 „ Fratres Minores (pro illo tempore indivisi) gau-  
 „ dere extunc cōperint Privilegiis, aliis Ecclesiis  
 „ *Conventualibus* de Jure concessis; prout inter  
 „ alia c. 11. de Pœnitent. & Remission. specialia Ec-  
 „ clesiis *Conventualibus* permittuntur. Et Clement.

c. 1. dereb. Eccl. non alien. distinguitur: ubi Conventus, & non Conventus existunt. Item Ecclesiæ Conventuales nominantur c. 2. de Statu Monach. sicut & Lib. 2. Decretal. Tit. 12. cap. 3.

Num. 69. Et hoc quidem Privilegium solis Ecclesiis , ubi Conventus existunt, concessum fuit ad distinctionem Conventuum, & Eremitiorum ; minimè verò ad distinctionem inter Fratres Ordinis faciendam: per accidens enim mox hi, mox alii Fratres petebant licentiam pro tempore aliquo divertendi ad locum solitarium, seu Eremitorium; quod aperte colligitur ex Ordinazione S. Francisci in Opuscul. Collat. 3. ubi sic: *Illi, qui religiosè volunt stare in Eremitoriis, sint tres, aut quatuor ... habeant unum Claustrum, & quilibet habeat locum suum.* Et in Constitut. Fatineris cap. 4. Ordinat Minister Generalis cum Capitulo Generali, quod Fratres deinceps indifferenter in Conventibus habitent, secundum dispositionem Ministrorum, & Custodum; & in Eremitoriis idem fiat: *caveant tamen prædicti Pralati, ne Fratres aliquos ad Eremitoria mittant, praesidentia ibidem facienda, nisi solos probatos in Observantia regulari.* Ex quibus patet, quod Fratres ex tali habitatione transitoria, à superioribus arbitrariè concedenda, vel deneganda, localiter quidem, sed non personaliter distinguuntur ab invicem; & Regulæ Zelatores, quantumcunque fervidi, tunc temporis mox habita.

bitabant in Conventibus, mox in Eremitoriis, ad dispositionem superiorum; Unde nomen **Conventualis** ex tunc erat quidem distinctivum inter Ecclesias, sed non inter ipsos Fratres, ut pote quos tale nomen non appellabat, nisi ratione accidentalis habitationis in **Conventu**, sicutque per accidens. Ubi non video, qualiter non ad sufficientiam obvietur argumentis ex tali Bulla pro Conventualium antiquioritate per Rationistam adductis. Et huic sensui non peregrino, & extorto magis videntur accedere praeclari Authores ab ipso citati. Qui etiam, si quandoque aliquid de antiquis temporibus referunt, quod laxitatem indicans, & strictis Observatoribus non quadrans, ipsis Patribus **Conventualibus** adscribunt, vel inscribunt, in hoc ipsis potius rei, quam nominibus se accommodant; prout etiam legitimus post Diluvium Arcam Noë requieuisse super Montes Armeniae, absque eò, quod teneat credere, etiam ante diluvium, seu illius tempore, Montes hosce ita fuisse appellatos, licet tempore Moysis scribentis tale jam nomen sortiti fuerint.

Num. 70. Germanus itaque sensus est, quod **Frater Minor Conventualis** sit ille, qui **Regulam Fratrum Minorum Sedis Apostolicae Privilegiis mitigata am profiteatur. Minor autem Observans ille, qui **Regulam Minorum simpliciter proficeret**, quas definitiones, ad evitandas verborum**

*equi-*

æquivocationes, necesse fuit assignare. Cùm enim teste Aristotele *2. Posterior.* Definitio medium sit in demonstratione potissima, in qua demonstratur passio de subiecto; Scriptores autem nonnulli antiquoritatem uti passionem de Minoribus *Conventualibus*, veluti de subiecto demonstrare intendant, oportuit legitimam subjecti definitionem producere. Nec cordatus Lector inficiabitur, hanc definitionem legitimam esse: Cùm enim diversi quodammodo sint Ordinis *Minores Conventuales*, & *Minores Observantes*, utpote legibus, locis, habitu, superioribus, & solemnis professio-  
nis formâ discreti; & Monachum faciat Regu-  
lae professio, ut habetur c. *Porroclum de Regulari*. utique diversum Monachum faciet diversa di-  
verificatae Regulæ professio; Si autem præten-  
dente M. Verino, ab invicem non distinguan-  
tur, frustrà unus præ alio prætenditur anti-  
quior. Ità est in casu nostro: Regula Minorum in suo rigore non modificata, diversa est à Re-  
gula Minorum Privilegiis Apostolicis mitigata; Nec tamen velim accipias hic modum in rigore Philosophico, qui scilicet non varia rem, cuius  
est modus; sed in sensu morali diminuente; Privilegia námque mitigativa, per quæ modi-  
ficata est Regula Minorum, ejus de substantia minuunt, dum infringunt paupertatem in com-  
muni (ut cætera interim omittam) cuius præ-  
rogativâ, præ omnibus Ecclesiæ Religionibus,

hæc singularis evadit; Unde Regula non modifcata, & modifcata substantialiter differunt; prout etiam suprà adduxi ex Passarino: Concludendum itaque, allatam distinctionem esse legalem. Nescio, an jam aliquis pro adjudicanda PP. Conventualibus antiquioritate velit admittere, quod modus sit prior re, cujas est modus; quod dispensatio sit ante legem, & lex privata publicam antecedat; nec non quod Regula Privilegiata ipsam Regulam absque Privilegiis præcedat; cui præsertim adjungendum, quod pura Minoritarum Regula puris etiam nunquam caruerit professoribus, & observatoribus, licet etiam ab initio laxiores subintraverint, qui, si ex sola facti contingencia, suos semper, & sinè interruptione forte habuerunt successores; Observatores stricti profectò etiam habuerunt tales ex promissione Christi.

Num. 71. Sunt nihilominus, qui hanc *Minoris Conventionalis Definitionem* toto conatu rejiciunt; Et Rationista præsertim non audet eam admittere, ne corruat totum ejus intentum, quo omnes Sanctos, & Beatos duorum primorum Sæculorum Franciscanorum vult *Conventuales* fuisse; quod doctissimus *Hugo Cavellus* jam dudum in aliis observaverat, dum in sua *Responsione* contra *Anonymum*, illum accusat de fraude, quod æquivocâ voce *Conventionalis* Lectori imposuerit: *Innocentium IV.*

sic Conventuales vocâsse distinctivè ab Observantibus, hoc sensu usitato; & quod astu tali Sacerdos, & Ordinis celebres Doctores sibi subripere tenzaverint. Et Num. 43. addit: Ex quibus etiam patet, eadem tecum reprehensione dignos esse, qui Doctorum antiquorum opera in lucem dantes, & recudentes titulis antiquis Ordinis Minorum, de suo addunt Conventualium, cum tamen eorum tempore Conventualitas, qua modò est, & Observantia opponitur, nata non fuerit. Ethæc est Scaturigo discordiarum inter Minoritanas Familias, quæ usque modò nec finem habent, nechabebunt, cum nequidem cessaverint reexcitari per Librum, de quo agimus, etiam post Decretum Sac. Congregationis de 25. Septembris, & 11. Decembris 1723. quorum observantiam ursit modernus Sanctissimus noster Benedictus XIV. uti habes suprà N. 5. & pro quibus adhuc invenio Monitorium, quod sequitur: „ Die 16. Februarii in Decretis praesentis causæ, & aliorum utriusque Sexus servorum Dei, Tertiiorum S. Francisci, apponatur titulus... Tertii Ordinis S. Francisci. In reliquis vero Decretis servorum Dei Ordinis Minorum, ejusdem S. Francisci, qui decesserunt ante Concilium Constantiense, serventur resolutiones Sacrae Congregationis editæ in causa Anagniana Beatif. & Canonizationis B. Andreæ de Comitibus sub die 25. Septembris, & 11. Decembr. 1723... ”

„ **F. Ludovicus Cardinalis Gottii Bonens.**, Mandant autem iste resolutiones Sac. Congregatio-  
nis, Sanctos & Beatos, Concilium Constantiense  
antecedentes simpliciter *Minores* dici, non cum  
additis illis distinctivis, *Conventualium*, vel  
etiam *Observantium*.

Num. 72. Ne interim tales suprà datae defi-  
nitiones de pleno rejiciantur, probo etiam hic,  
quod nomen *Conventualis*, sicuti & *Observantis*,  
in aliis etiam Sacris Ordinibus similem functio-  
nem habeat, & habuerit. Imprimis *Fontana*  
in Historia Sacri Prædicatorum Ordinis idem  
eodem modo testatur, prout magis explicitè  
adducemus infrà. Et Ludovicus Miranda in  
*Manuali Prelatorum Tom. I. q. 12. art. 1. Con-*  
*clus. 1.* ait: „ *Claustrales*, seu *Conventuales* illi  
dicuntur Religiosi, qui non stricte, sed laxè  
in sua propria cujusque professione viventes,  
ab ea defecerunt perfectione, & rigore, quo  
ipsorum Religiones fundatae sunt... à stricta  
propriæ cujusque Regulæ Observantia defi-  
cientes, & non, ut par est, Regulas suas  
stricte, sed laxè nimis Observantes *Claustra-*  
*les* ubique & *Conventuales* dicti sunt, & no-  
minati. „ Si hic Ludovicus Miranda, utpote  
Observans, cuiquam forte particularis appa-  
reat, audiat Antonium Pucci, Clericum Ca-  
meræ Apostolicæ, qui in oratione habita in  
Concilio Lateranensi, sub Leone X. inter alia  
sic dicebat: *Ut enim præcipuam illam doloris cau-*  
sam

sam silentio præteream, inter eosdem non minus  
præcepto, quam Ordine Fratres, quos partim  
Conventuales, parum Observantes trito vocabu-  
lo nuncupamus, tam magnum Chaos intervenisse,  
ut qui Observantiam nomine non censemur &c.  
Apud Labbè Collect. Concil. Tom. 19. pag.  
894. Ad idem Donatus in *Praxi Regular.* Tom.  
1. Tract. 1. q. 4. inquit: *Qui laxè in sua propria  
eiususque professione vivebant, recedentes ab  
illo priore rigore facti sunt Claustrales, seu Con-  
ventuales.* Vide etiam Cajetanum Comment.  
in 2dam adæ D. Thomæ q. 18. art. 5. &

Num. 73. Item in Bulla Pii V. que incipit:  
*Maximè cuperemus &c.* (per quam hic Sanctus  
Pontifex Conventualismum in Regno Hispaniæ  
volebat perpetuò extinctum) ad nostrum pro-  
positum sic habes circa Ordinem Minorum:  
,, Aboleant penitus, & in perpetuum tollant,  
,, atque extinguant formam vivendi Conven-  
,, tualem, eosque Fratres ad eandem vivendi  
,, formam, eadémque instituta redigant, que  
,, Fratres Minores de Observantia observant,  
,, & eorum Ecclesiæ, ac Domos Ordinis FF.  
,, Minorum de Observantia assignent. „ *Et*  
deinde quoad aliorum Ordinum Conventuales  
subjungit: „ Quæ autem de Fratribus Conven-  
,, tualibus Ordinis S. Francisci ad vitam regu-  
,, laris Observantia reducendis mandavimus,  
,, eadem, propter easdem causas, & ad eadem  
,, auferenda offendicula, etiam de Fratribus

„ in Hispania consistentibus , aliorum quoque  
„ Ordinum quorumcunque **Conventualibus** ,  
„ ad vitæ Regularis Observantiam eâdem Au-  
„ thoritate , eisdem Venerabilibus Fratribus ,  
„ Archi · Episcopis , Episcopis per Hispaniam  
„ constitutis , mandamus : Veluti Canonico-  
„ rum Regularium , S. Benedicti , Cistercien-  
„ sium , Prædicatorum , Eremitarum S. Au-  
„ gustini , Carmelitarum... eodem modo ,  
„ ut de Domibus , & Ecclesiis Fratrum Mino-  
„ rum Conventualium diximus . „ Ecce quo-  
modò Pontifex , sicut in omnibus illis Ordinibus  
relaxatos agnoscit , & Regularum Observatores ;  
itâ & hos *Observantes* reputat , illósque **Con-**  
**ventuales** ; in quo absolvitur id , quod ego su-  
prâ probare debueram . Si autem in hisce  
Sacris Ordinibus , Conventuales præcesserint  
Regularum Observatores , ad quos mandaçō  
Pontificio erant reducendi ; tunc valebit utique  
argumentum , quo Rationista intendit anti-  
quoritatem Conventualium probare ex eo ,  
quod in omnibus aliis Ordinibus , ipsi laxiores  
antiquiores sint . Quod non concedo , si sunt ,  
& maneant in eodem Ordine ; aliud enim est ,  
si unus , vel alter separatam omnino à præxi-  
stente Ordine incipiat Reformationem volun-  
tariam , de quâ suprâ N. 11. & seqq. prout  
contingit in Bernardinis , & Carmelitis refor-  
matis (per me licet etiam in Capucinis) quo-  
rum recessus , quia Hieratchiam Ordinis non  
duxit

duxit secum, Observantes relinquit in suâ antiquitate Ordinis, sicque ibi Strictiores (si equidem tales sint) distinctum, & posteriorem Ordinem constituunt. In divisione autem Leonina manebat Ordinis successio penes Observantes tanquam penes partem majorem in Regularibus Observantiis perseverantem.

Num. 74. Reim totam, nedum quantum ad significationem nominis **Conventualium**, sed quoad systema Observantinum (ita, ut vix aliquid paritati nostrae deficiat) videamus in duabus præsertim aliis Ordinibus. Sanè legitur in Statutis Ordinis Camaldulensium confirmatis à Leone X. per Bullam, quæ incipit: *Et si à summo.* Quod hic sequitur: „Imprimis tam „authoritate Apostolicâ, nobis in hac parte „commissâ, quam totius Capituli nostri po- „testate Ordinamus; quod Camaldulensis „Eremi sit una Congregatio, quæ loca omnia „tam Eremitarum, quam **Observantium**, & „**Conventualium** ad ipsam pertinientium com- „prehendat, voceturque Congregatio Sacra „Eremi Camaldulensis. §. 90. Modus autem „eligendi Ordinis nostri Generalem talis sit, „ut eligatur solum de numero **Observantium**, „seu Cœnobitarum, sive Eremitarum, & non „**Conventualium**, fiatque ejus electio in Capi- „tulo **Observantium**. §. 94.... Duos Vicarios „Generales, unum quidem super omnes **Con- ventuales**, ... qui super **Observantes**, Cœ- „nobis

„ nobitas , & Eremitas , & super Moniales  
 „ nullum Jus habeat. §. 96. Pro regimine au-  
 „ tem *Observantium* ... unum , aut plures Vi-  
 „ carios Universales , aut particulares ... Ne-  
 „ mo tamen , nisi de numero Praelatorum Ob-  
 „ servantium nostri Ordinis possit in Vicarium  
 „ super *Observantes* , & Moniales eligi. §. 97.  
 „ Pro majori autem totius Ordinis regimine ,  
 „ confirmatione , & augmento volumus in Reli-  
 „ gione nostra duo Capitula celebrari ; unum  
 „ quidem de anno in annum , in quo solum con-  
 „ veniant *Observantes* , Cœnobitæ , & Eremitæ . . .  
 „ In quo Prior Eremiti , & totius Ordinis Gene-  
 „ ralis eligantur. Alterum verò Capitulum  
 „ (Quamdiu in nostro Ordine Conven-  
 „ tuales esse contigerit) Generale totius  
 „ Ordinis fieri volumus ... in quo convenient  
 „ omnes ... & per sex Definitores , quorum  
 „ duo sint Eremitæ , duo de numero Observan-  
 „ tum , & duo de numero Conventualium ...  
 „ & tractentur , & definiantur , quæ ad totius  
 „ Ordinis Reformationem , incrementum ,  
 „ & utilitatem opportuna existimabuntur.  
 „ §. 102. Item statuimus , & Ordinamus , quòd  
 „ nullus de numero *Observantium* possit ad Vi-  
 „ tam *Conventualem* transfire sub inobedientiæ  
 „ pœna , quâ ligentur non solum transeuntes ,  
 „ sed & recipientes , qui etiam beneficiorum  
 „ suorum privationis pœnam incurvant. §. 102.  
 „ *Conventuales* vero ad arctiorem vitam Obser-  
 „ vantia

„ vantice transire posse volumus; quinimò eo-  
rum singulos, pro animarum suarum salute,  
„ Religionisque nostrae Reformatione, horta-  
„ mur, & admonemus hoc facere: **Volentés-**  
„ que, ut **Conventualibus** sic ad meliorem  
„ conversionem transire volentibus, locus in  
„ Observantia denegari, sub eadem pœna non  
„ possit §. 103. Item, ut **Observantium** potiás,  
„ quam **Conventualiam** in nostro Ordine nume-  
„ rus augeatur, omnes deinceps ad nostram  
„ Religionem accedent volentes, in loco Ob-  
„ servantiæ habitum Religionis suscipiant, &  
„ professionem emitant. „

Num. 75. Ex his pro non vulgariter diluci-  
dando nostro systemate, posset ex formato valde  
possibili supposito queri: si idem Leo X., qui  
hæc Statuta promovit, in Ordine nostro Mino-  
ritico Conventuales ab Observantibus (prout  
tamen fecit) non separasset; sed (ex quo ipsi  
Observantes Minoritæ tempore sui regiminis in  
majori jam erant supra Conventuales numero)  
similia solummodo hosce statuta condere jussis-  
set; Videlicet: Ne Conventuales ulli, sed  
soli Observantes ad electionem Ministri Gene-  
ralis tam actiue, quam passiue concurrerent: Ne  
Observantes sub similibus pœnis ad vitam Con-  
ventualium transire possent; hi autem econtra  
tam serio admonerentur, ut ad ritum Ob-  
servantium transirent: Et tandem, ut solis  
Observantibus deinceps liceret, instantes Can-

didatos ad Ordinem, ac Professionem admittere; ex quo ultimo, tempore ad summum 50. annorum omnimoda debuisset connaturaliter sequi Conventualium in Ordine extinctio; si inquam Pontifex ita per omnia pro Ordine Minorum ordinasset, & sic consecutivè Conventualisimus Minoriticus extictus fuisset: Ante extictus etiam fuisset antiquus, & primævus Ordo Minorum? Respondeant sua de experientia Camaldulenses, qui equidem totâ non minus, quam palpabili veritate dicent, quod Ordinem suum, hoc non obstante, conservaverint, continuaverint, & melioraverint in numerica identitate eundem.

Num. 76. Et ne quis forte existimet, sensum horum Statutorum deflectere à nostro proposito, quo intendimus probare, per Conventuales, etiam in aliis Ordinibus, relaxatos intelligi; ne inquam quis existimet, Statuta illa Camaldulensia, utpote pro Eremitis facta, potius excludere illos, qui in Conventibus habitant; sique qui à Conventibus, seu à Convenire (prout Rationista nomen illud, ut antiquum faciat, hic derivat) Conventuales dicebantur. Audi de alio Ordine, respectu cuius hoc non poterit objici, & qui aliunde majorem adhuc pro nostro systemate indicat paritatem. Sacer Ordo Prædicatorum; licet (Deo aliter disponente) sui divisionem, sicut Ordo Minorum, non subiit; tamen suo tempore eodem modo

sic

sic dictos Conventuales siavul, & Observantes  
sub unitate Capitis in se conclusit; Et quidem  
sub pari utrumque vocabulo, par etiam erat re-  
spectivè nominis significatio, distinguebanturque  
Ordinis istius Conventuales, seu Claustrales per  
ulsum nonnullorum Privilegiorum ab illis, qui  
Regulam S. Augustini, à S. Patriarcha Domini-  
co assumptam, & certis Constitutionibus, per  
ipsum adjectis, modifcatam, vocationique dicti  
Ordinis accommodatam, seclusis ejusmodi Priva-  
legiis, observare volebant; qui proinde Obser-  
vantes, tam in Historia Ordinis, quam in Di-  
plomatibus Pontificis, eadem plane sorte, quam  
Observantes Minores, communiter dicti sunt.  
Hoc primùm ob oculos ponam, & doinde eruam  
paritatem finalē.

Num. 78. Saec, sicut varii Pontifices Leo-  
nem X. præcedentes per indicia quinque Capitula  
Generalissima, sic & ipse Leo X. per 6tum Romæ  
in Conventu Ara-Cælitano, summiopere nite-  
batur totum Ordinem Minorum in Vera Obser-  
vantia adunare; atque sic dictos illius Ordinis  
Conventuales ad normam Observantium redu-  
cere, ut, sicut eò usque in simili professionis  
non restrictæ formula conveniebant, ita etiam  
illos cum hisce in simplici Regulæ Observantia, ac  
præsertim in proprietatis in communi omnimoda  
abdicatione uniret. Ita etiam varii Pontifices,  
una cum potiori non minùs, quam Sanctori Or-  
dinis Prædicatorum parte, Observantium Ze-  
lante,

lante, conati sunt Conventualistum in hoc sensu sumptum in praedicto Ordine extinguere, omniaque Corporis membra, sub Capite homogenio, in vera Regulae, & Constitutionum Observantia adunare. Quod pater ex Authoritatibus, Decretis, Juribus, & factis, quæ hic pro parte citabimus.

Num. 79. Famosus imprimis Ordinis Prædicatorum Scriptor Fontana Constitut. & Ordinat. Ord. Præd. part. I. de Reformat. Ord. Col. 575. postquam retulit varia ex Bulla: *Officii nostri &c.* pro Reformatione Ordinis à Clemente VII. data, subjungit: „Ex quo factum est, ut Regularis Observantia in Ordine nostro fuerit restituta. Cùm autem in aliquibus Conventibus nondum fuisset revocata in pristinum vigorem, in Capitulo Generali Romæ 1569... Mandante Sanctissimo, & Gloriosissimo Pontifice nostro Pio V. interdictum fuit illis (scilicet Conventualibus, seu Claustralibus, ut habet contextus) Novitios ad habitum, & professionem admittere, prout habetur ibidem (in Superiori Bulla) Cap. de Claustralium, seu Conventualium Reformatione. Ex quo postea factum est, ut in Regulari Observantia fieret unum Ovile, & unus Pastor. Deinde Pius V. in Brevi: Cùm sicut accepimus. Sub die 5. Augusti 1564. ad P. Vincentium Justinianum Magistrum Generalem Ord. Prædicatorum, inter alia inquit: *Ut Conventuales, & non Observantes*

tes ibidem degentes per te Visitando reformes. &  
ad regularem Observantiam reducas. Innocen-  
tius VIII. in Bulla: Exponi nobis in Bullar. Ordini-  
nis Praed. Tom. 4 pag. 7. Tibi, ut de domo S.  
Dominici Bononiensi Ordinis Observantia Prædi-  
catorum... ad Domum dicti Sancti Ferrariensem  
eiusdem Ordinis Fratrum Conventualium te  
transferas &c.

Num. 80. Pius II. in Bulla: *Sacra Religionis.*  
Tom. 7. præfati Bullarii pag. 93. Sanè pro parte...  
peritio continebat, quod interdum nonnulli ex Fra-  
tribus Domorum vestiarum, sub Regulari Obser-  
vantia viventium levitate... absque licentia Vi-  
carii dicti Ordinis, ad domos non reformatas Fra-  
trum dicti Ordinis Conventualium nuncupatorum  
se transferant &c. Ubi & patet, quod in Ordi-  
ne Prædicatorum Reformati illi, qui de Regulari  
Observantia dicebantur, suos, eodem modo,  
sicut Observantes Minoritæ habuerint Vicarios,  
per quos regebantur. Prout fosiū adhuc vides  
in sequentibus. Nicolaus V. Bulla 99. in eodem  
Bullar. Tom. 3. Fratribus Prædicatoribus in Ca-  
pitulo Congregatis præcipiens inquit: Ut non  
permittatis circa eorundem Observantium regimen  
aliquid immutari; sed sinatis ipsos, juxta for-  
mam prius observatam, sub suis Vicariis, sub  
Obedientia tamen vestri Ordinis Magistri, em-  
mense eis favorem impendatis. Callixtus III.  
Bullam: Pro parte Dilectorum. inscribit: Dile-  
cto Filio Vicario Ordinis Prædicatorum de Obser-  
vantia.

vantia. Apud Fontana part. 1. de Vicariis. Congregat. Col. 652. N. 50. ubi sic habetur citatum : *Volumus, & Authoritate Apostolica statuimus, quod Vicarii Generales Congregationum exemptarum à Provincialibus... non possint ultra terminum in Vicariatus Officio permanere.* Et quidem in hoc Prædicatorum Ordine ita fuerunt officia Viciorum Generalium, & Provincialium continuata, ut, teste Fontanâ, *F. Thomas Ajurami de Pisis*, deposito titulo Vicarii, fuerit primus Prior Reformationis declaratus per Magistrum Generalem, donec tandem unâ cum Fratre Joanne à S. Martino Vicario Generali, omnes alii Vicarii fuerint absoluti, Provincialesque super suos Reformatos denuntiati; *quod*, inquit Fontana Constit. 1. part. 2. pro Provin. Hispaniæ, merito factum est, è quod Ordo tunc, si nondum ex toto, saltè pro majori parte reformatus fuit. Ecce iterum paritas.

Num. 81. Quibus cum omnimoda Conformatitate ad Ordinem Minorum ita suppositis; quæri posset 1<sup>o</sup> : an Observantes hujusmodi, sub propriis Vicariis, particularique regimine constituti, dicendi fuerint ab Ordine Prædicatorum separati, prout Minoribus Observantinis *de Familia* continuò objiciunt opposentes? 2<sup>o</sup> : an Observantia illa fuerit in Ordinem Prædicatorum introducta tanquam aliquid novi, &c., quantum ad primævum Ordinem, quid peregrini, vel an non potius Conventualitas illa (quæ relaxa-

relaxatos denotabat) veluti aliquid ipsi Ordini à S. Dominico fundato , malitiā temporis, superveniens introducta , nec non ( ut filiale quid) ex Observatorum deficiētia generata , & finaliter in sacro illo Ordine ( referente Fontanā ) extincta ? Quo supposito , hoc formaverim adhuc Argumentum : Extincto in Ordine Prædicatorum Conventionalismo superiùs explicato, non fuit extincta illius Ordinis antiqua Communitas, seu S. Patriarchæ Gusmanni Genealogia , utpote, quæ hāc extinctione fuit solum meliorata ; ergo à pari : translato extra unitatem Hierarchicam Ordinis Minorum , simili Conventionalismo, non fuit antiqua translated Religio , seu translatus ille Conventionalismus ( in minori prælettim parte consistens ) non tulit secum originariam S.Francisci , quā primi Generalis successionem , sicque nec ipsum secum duxit præexistentein Ordinem, nisi pro minori illa parte , in qua consistebat, sub novo Capite constituendus. Interim adhuc tam contra unū , quam alterum Ordinem.

Num. 82. Dices : Licet ab initio strictè Regulæ Observatio præcesserit, sicque Observantes eam suo tempore restituerint : quia tamen nihil restituitur , aut reformatur , quod non fuerat collapsum ; lapsusque insuper utrobique ita fuerit communis , ut Reformationes inchoatæ fuerint per pauciores ; hi proinde respectu Ordinis jam in possessione relaxationis positi, novitatem fecerunt , consequenter , & divisionem cuius

eius omnis novitas Mater est. Et in utroque Ordine introductam suile Reformationem non liberam, & supererogatoriam, qua: novitas est; sed necessariam, quarum notabilem differentiam vide supra Num. 11. & seqq. Contra hanc autem, utpote ad quam semper datur compulsus, ut dictum est ibidem, nulla valet possessio, vel præscriptio: quia haec foret contra professio- nem, quæ subintrat in jus divinum. Inde nec talis datur contra legem Civilem, & humanam (ut sunt Ordinis Constitutiones) præsertim ubi Capita Ordinis, & Comitia Generalia reclamant, qualis reclamatio in utroque Ordine sèpè facta est, & quam secuti sunt, & promoverunt Fra- tres Zelosi, quibus uterque Ordo semper abun- davit, etiam antequam hi particulare aliquod Re- formationis nomen, pro distinctione aliorum, sibi acquisiverant.

Num. 83. Resp. ad: Videndum esse, quid significet Vocabulum *Ordo*, & quid notionis im- portet hoc verbum dividere. *Ordo* enim, sanè intelligendo, significat Congregationem Fidelium, Regulā, & aliis Ordinationibus, sive Con- stitutionibus Ordinatam. Ex quo sequitur, quod illi constituant, & statuant Ordinem, qui secundum Ordinem, Regulam, & Constitu- tiones sunt Ordinati. Dicere ergo, quod Observantes ipsi Regulam, & Constitutiones observare volentes, & dispensationes substantiales (quæ reclamantibus Capitulis Generalibus subreptiæ

cen.

censentur) recusantes, Ordinem divisissent; non est aliud dicere, nisi quod illi, qui Ordinem faciant, & constituant, illi eidem Ordinem dividant, & unitatem ejus destruant; quod est clare contradicere sibi ipsi. Quomodo namque dividunt illi, qui omnia constituentia Ordinem uniuert obliterando? Aut quomodo econtrario non dividunt illi, qui quædam servant, & quædam non? Sanè in neutro Ordine hæc ex crescens Reformatio, est dicenda divisio, quæ in Instituto quidem Prædicatorum totum post se traxit Ordinem; in Religione vero Minorum, omnes & singulos sibi finaliter adunavit Ordinis Reformationes, dimissâ minori parte non reformatâ, ex quâ sacerrimus equidem consurrexit Ordo modernorum Conventualium, à pristinis Minoritani Ordinis Conventualibus vel maximè differentium.

## CAPUT UNDECIMUM

*An Regula Minorum permittat usum simplicem quorumcunque Immobilium?*

Num. 1. Notabilissimum hic adhuc tangamus argumentum, quod Rationista hoc in compendio præfigit suo Capiti V. *Redditus primi, & secundi seculi Franciscani similes illis, quos Convenuales usque ad Concilium Tridentinum habuerunt, primi vero Observantes recuperarunt,*

Nu  
osten-